Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Justus Christoph Schomer Johann Fecht

Justi Christoph. Schomeri, D. Exegesis In Epistolas S. Pauli Ad Hebræos, Jacobi & Partem Prioris Petri

Rostochi[i]: Typis & sumptibus Joh. Wepplingi[i], MDCCI.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012668711

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1012668711/phys_0001
DFG

KB NB 0098. 1-10

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1012668711/phys_0002

DFG

Nr. 19.

Praeposition Obj.

The

C

In

S. T

Ty

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012668711/phys_0004
DFG

JUSTI CHRISTOPH. SCHOMERI, D.

EXEGESIS
IN
EPISTOLAS S. PAULI
AD HEBRÆOS,
JACOBI &
PARTEM PRIORIS PETRI.

Edidit & Præfationem de Academicorum Doctorum circa interpretandas S. Literas & inſtillandum inde tum ſacrorum notitiam tum animi pietatem officio, Programma item de particulari defunctorum pro vivis interceſſione adjecit

JO. FECHT. D.

Roſtochi,
Typis & ſumptibus JOH. WEPPLINGI,
Acad. Typogr.
A. MDCCI.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012668711/phys_0005
DFG

PRÆFATIO;

Qvâ

De Academicorum doctorum officio disseritur, ostenditurq́, iisdem præcipuè incumbere, ut cives, fidei suæ concreditos, non tantum ad S. Literarum sedulam lectionem exsuscitent atq́ deducant, sed ut pietatem qvoq́ iisdem per ipsam Scripturarum notitiam instillent.

I.

CUm in Præfatione, Exegesi Schomerianæ in Epistolas Pauli minores præmissâ, de studio Biblico in Academiis exculto pro ratione instituti nostri egerimus, nunc cum nova Beati Viri, eaq́ ultima Exegesis à me in lucem editur, in tractatione de Lectione Biblicâ continuanda meditatio nostra est & hoc qvidem loco de ipsorum doctorum Academicorum officio, circa S. Literarum lectionem occupato, paulò fusius nobis dicendum, demonstrandumq́, ita ab iis juventutem sacris destinatam ad diligentem Scripturarum lectionem deducendam esse, ut & notitiam rerum Theologicarum & pietatis praxin iisdem æqvè instillent. Et ipsum qvidem, qvod Theologiæ Professor gerit, nomen & honoris titulus, qvo ab aliis discretus est, officii sui eundem qvotidie admonere potest. Est enim doctor sacrarum literarum, sanctarum scripturarum doctor, doctor verbi Divini. Ut qvemadmodum Divini verbi in qvâlibet Ecclesiâ minister cœtui suo sacrarum literarum oracula pericapas Evangelicas, lectiones Epistolicas, libros veteris noviqve Testamenti Biblicos, textus item cuilibet tempori & casui aptos, funebres, nuptiales, pœnitentiales, eucharisticos & alios id genus, ordinariè proponere,

explicare, illustrare, ad alia verò Homiliarum Ecclesiasticarum argumenta, utpote qvæstiones Catecheticas, easq, qvæ ad dignam sacramenti perceptionem hominem præparant, Symbola item œcumenica, aut nostræ Ecclesiæ propria, & cantilenas, publicè in Ecclesiâ receptas, nonnisi extra ordinem & certis temporibus pro suggestu tractanda sete accingit: ita & S. Literarum in Academiâ doctor hæc ipsa Theologiæ cultoribus, utpote futuris Ecclesiarum ministris, inculcare debere intelligatur. Ut enim Ecclesiæ minister sui, ad qvem vocatus est, cœtus: ita Academiæ Professor Academici cœtus doctor est. Qvâ itaqve in re Ecclesiæ minister auditores suos instituit, in eâdem ipsâ ut instituere eosdem possit, ministerii Candidatum informat Academiæ doctor. Ubi tamen adverti necesse est, neq; solos Ecclesiarum ministros erudire Academiæ doctorem, neqve illos ipsos unius generis esse aut ordinis. Nam in Academiis formantur & ipsi S. Literarum doctores, qvi aliqvando pluribus Ecclesiæ ministris præfuturi & vel in Consistoriis, vel Consiliis, vel Conventibus Ecclesiasticis, vel aliâ ratione qvacunq; Ecclesias recturi sunt. Inter ipsos qvoq; Ecclesiarum pastores non est nulla omninò differentia. Qvidam enim vulgaribus in rure Ecclesiis, alii majoribus, alii maximis & amplissimis præficiuntur. Ut autem illis forte suffecerit simplex S. Literarum intellectus, hausqve inde purioris Theologiæ notitia: ita hi, qvorum numerus non exiguus est, ulterius tendere, controversiarum sibi scientiam non perfunctoriam comparare, ei fini & disciplinas Philosophicas & artes qvascunq; liberales, lingvas item præcipuè sacras sibi reddere familiares, Historiam omnium seculorum Ecclesiasticam cognoscere, nec omittere qvicqvam eorum debent,

debent, qvæ eosdem ad functionem futuram non idoneos tantum reddere, sed perficere etiam & exornare possunt. Subinde enim in officiis amplioribus subnascuntur occasiones, vel disputandi cum adversariis, vel præservandi suos à lapsu, vel reducendi errantes, vel instruendi dubios, vel deniqve infinita alia, qvæ nunqvam prævideramus, agendi. In iis itaqꝫ omnibus ut parati sint, nec turpi ignorantiæ vitio conscientiam suam oblato sibi casu contaminent, omnibus iis præsidiis, qvorum mentionem fecimus, opus est. Non qvidem eodem gradu universis; sed qvis tibi dixerit, qvodnam tibi ex DEI nutu officium & qvinam in futuro officio casus sint obventuri? Imò qvi communissimo in rure pastoratui admovetur, ei non defuturi sunt difficillimi casus, in qvibus consilium operaqꝫ sua antistitis non semper præsto esse, nec ubiqꝫ etiam succurrere potest. Qvid enim faciet, si vel nobilis, Ecclesiæ suæ civis, vel alius, fundi sui conditione Ecclesiasticæ ipsius curæ subjectus, in religione vacillare incipiat, si lapsum moliatur: si scrupulos fingat, si cum pastore suo disputare incipiat, si se suosqve, nisi rectè ipsi & solidè obviam eatur, in hæresin præcipitet? Qvamvis itaqꝫ nemo Ecclesiæ ministorum controversiarum & artis solidè disputandi omninò expers esse debeat, atqꝫ adeò Academiæ doctori, ut qvibuslibet eâ etiam in Theologiæ parte operâ suâ succurrat, utiqve incumbat, præcipuum tamen ejus laborem in exponendis scripturis positum esse debere dubitari neqvit. Harum enim necessaria notitia communis est omnibus & qvamcunqve pertractes exerceasqꝫ Theologiæ partem, Sacras Literas fundamentum ubiqꝫ præbere & proram puppimqve omnium Theologi occupationum esse, extra dubitationis aleam positum est.

II. Jureconsultis in more positum esse accipimus, ut tum demum cursum studii sui universum absolvisse & perfectam juris civilis scientiam tradidisse suis existimentur, non si vel compendium juris, vel systema vel materias particulares qvascunq; , in scientiæ formam redactas, sed si ipsum Juris sui, qvod vocant, Corpus, qvantumlibet nulli certo & disciplinis proprio odini adstrictum, à capite ad calcem integrum exposuerint. Majoribus qvondam nostris in plerisq; Germaniæ Academiis placuit, in omnibus Philosophiæ partibus earundem Professores ad textum summi, ut vocabant, Philosophi, Aristotelis, juventuti prælegendum, non obstantibus disciplinarũ omnium, qvæ jam tum ex Aristotele compositæ fuerant, compendiis, severâ qvadam sacramenti religione obligare. Hi in roborem dare eos Theologos possunt, qvi spretis fontibus rivos tantum consectantur, qvi dum deductos ex S. Literis labores qvotidie exponunt, ipsam scripturam sacram, Divinarum legum verum & irrefragabile corpus, unicum & inexhaustum salutaris sapientiæ fontem, profundo semper silentio sepeliunt. De qvibus verè illud Servatoris pronunciare qveas: *filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua.* Luc. XVI, 8.

III. Ne autem longius arcessam argumenta, Pauli & exemplum & mandatum allegabo. Is in utraqve ad Timotheum, illâqve qvæ est ad Titum, Epistolâ Ecclesiæ simul ministrum formar & præpositum & doctorem. Erant enim Timotheus atqve Titus ex eorum numero, qvos veteres Evangelistas vocabant, seu Apostolorum cooperarios. Qvi missi ab iisdem ad certas nationes, vel adducere illas ad fidem, vel adductas roborare, Ecclesias constituere, ministros & docere & inaugurare, iisdem ordi-

ordinare antistites, leges, ritus, cæteraqve omnia facere debebant, qvibus Ecclesiarum salus continebatur. Non erant tum alii Christianæ Theologiæ doctores, qvam iidem, qvi & gubernatores, qvin & pastores. Paulus colligebat ubiqve Ecclesias, Apostolicâ in re officio functus. Prædicabat verbum, administrabat Sacramenta, convertebat à tenebris ad lucem, illuminabat, regenerabat, sanctificabat, pastoris nimirum eo in labore munus administrans. Cum amplificarentur per divinam gratiam Ecclesiæ, curam plurium agebat, constituebat antistites, presbyteros, Diaconos, ordinabat ritus, ceremonias, cultum, legibus, institutis, societatibus Ecclesias conjungebat, obiens eâ in re vices præpositi atqve Episcopi. Deniqve cum Christiani non nascantur, sed fiant, neqve Christiani eo tempore nisi per eos fieri poterant, qvibus dictum à Servatore fuerat: *euntes docete omnes gentes.* Matth. XXIIX, 19. ipsos Ecclesiæ & pastores & doctores ex S. Literis erudiendo formabat & ad docendum reddebat idoneos; doctoris in eo præceptorisqve partes perficiens. Postremi hujus officii memorabile specimen sunt Epistolæ ad Timotheum & Titum, ideam futuri Ecclesiæ ministri, qvoad fideipariter atq; morum doctrinam, ad regulam S. Scripturarum exhibentes. Has enim ubiq; inculcant, harum lectionem urgent & meditationem, juxta harum normam Timotheum atqve Titum instruunt, qvippe qvas & ideò *à juventute didicerint, qvæq;* earundem studiosum *erudire possint ad salutem per fidem in Christum Jesum.* Cum in hunc ipsum finem *à DEO sint inspirata, ut sint utiles ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad castigationem in justitiâ. Ut adeò vir DEI* & Ecclesiæ doctor *sit perfectus, ad omne bonum opus perfectè instructus.* II. Tim.

Tim. III. 15. 16. 17. Has ipsis in memoriam revocat & commendat, tanqvam hodegetam in viâ ad salutem, ne *cum vaniloqvis, fastu ac præsumptione turgidis*, à verâ æternæ vitæ semitâ *deflectant*. I. Tim. I. 5. 6. Tanqvam fontem omnis sanctitatis, adversus *spiritus planos & doctrinas dæmoniorum, per hypocrisin falsiloquorum, quorum conscientia cauterio resecta est, prohibentium contrahere matrimonium, abstinentium à cibis, qvos Deus condidit, ad participandum cum gratiarum actione, iis, qui credunt & norunt veritatem*. I. Tim. IV. 1. 5. Tanqvam promptuarium omnium rerum, ad vitam spiritualem necessariarum: cui ceu *verbo fidei innutriri* oporteat, *ut bonus sis minister Jesu Christi*. I. Tim. IV. 6. Ut *exemplum sias fidelium in verbo*. I. Tim. IV. 12. Tanqvam inexhaustum salutarium doctrinarum thesaurum, cui *attendere* debeas *legendo, exhortando, docendo*. I. Tim. IV. 13. A. qvo qvisqvis deviat, *inflatus sit, nihil sciens, sed insaniens circa qvæstiones ac pugnas de verbis, ex quibus nascitur invidia, lis, maledicentiæ, suspiciones malæ, perversæ exercitationes hominum, mente corruptorum & qvi privati sunt veritate & qvæstui habent pietatem*. I. Tim. VI. 3. 4. Qvem *prædicare* alius, qvem *docere* debeas. II. Tim. I. 11. Sive oportuno sive importuno tempore. II. Tim. IV. 2. Qvem recte partiri. II. Tim II. 15. Qvem tibi proponere ceu *typum sanorum verborum in fide & charitate, qvæ est in Christo Jesu*. II. Tim. I. 13. Tanqvam bonum & pretiosissimum depositum, *qvod custodiendum sit per Spiritum S. qvi in nobis habitat*. II. Tim. I. 14 Qvod *concreditum sit* Ecclesiæ ministris, *secundum mandatum Dei Servatoris nostri*. Tit. I. 3. Cujus *tenaces esse* debeant ut *potentes sint ad exhortandum per salutarem doctrinam & redarguendum adversarios*. Tit. I. 9. *Ne* per eos, qvi suis cupiditatibus

tatibus serviunt, impurorum scelerum patratores, *verbum DEI blasphemetur.* Tit II. 5. sed pulcerrimis potius qvibusvis operibus *condecoretur.* Tit. II. 10. His tot axiomatibus, his ornamentis, sacræ Scripturæ tributis, necessitatem ejus & utilitatem Paulus discipulis suis commendat. His ad lectionem Divini libri freqventem & seriam eosdem non tam deducit, qvam compellit. Sunt autem Academiarum doctores in hoc ipso docendi officio Apostolorum successores, seu, ut Pauli verbo utar, μιμηται, *imitatores*, II. Thess. III. 7 Qvid igitur æqvius est, qvam ut iisdem vestigiis insistant?

IV. Non autem exemplo tantum suo, sed mandato qvoq; aliorum ministrorum formatoribus, ut eosdem Scripturarios seu sacrarum Literarum peritos reddant, injungit. Erant enim uterqve & Timotheus & Titus Pauli qvasi Co-Apostoli, non ad id tantum constituti, ut unam duntaxat unius loci Ecclesiam verbi Divini prædicatione pascerent, sed plures unius vel plurium provinciarum Ecclesias, ceu Generales earum Inspectores, ut in Comment. ad Tit. loqvitur ὁ πάνυ D. Jo. Qviſtorpius, gubernarent, virosq; qvi docendi postea in Ecclesiis munus vel in publicâ vel domesticâ Scholâ obirent, more Apostolorũ, instituerent. Qvamobrem Timotheũ hortatur, ut *qvæ ab ipso audiverit per multos testes, ea tradat*, tanqvam sacrum depositum, *fidis hominibus, qvi idonei sint posthac & alios docere.* II. Tim. II. 2. Per multos testes nihil simplicius est qvam eos intelligere, qvos simul cum Timotheo informaverat Paulus. Qvæ itaq; in scholâ suâ præsentibus plurimis cõmilitonibus a se præceptore audivit Timotheus, ea vult ab ipso magnâ sereritate & qvotidianâ commendatione tradi, seu inculcando docendo propagari ad alios,

ingenii pariter atq; animi bonitate valentes, usqve dum & ipsi eâ doctrinâ polleant, ut Ecclesiis tanqvam docti fidiq; pastores præfici possint. Est enim παρατιθέναι, aliqvid proponere, committere, commendare aliis. Ita planè *Theodoretus* ad hunc locum: *Qvæ me multos audisti docentem, ea perpetuò prædica. Et qvemadmodum à me doctor constitutus es: ita etiam tu eos, qvi fide sunt ornati, doce ea, qvæ didicisti, ut illi etiam doctrinam rursus ad alios transmittant.* Docere illos, qvi doctrinam à docente hauſtam iterum docendo ad alios transfundant, non est Ecclesiæ doctoris, sed scholæ. Et qvamqvam forte Apostolorum tempore à scholis publicis, qvæ eopse loco, qvi templorum tum vice erat, ad morem hodiernæ Ecclesiæ Græcanicæ, habebantur, nemo excludebatur, cum & informatio ipsa vernaculâ instituereturlingvâ, qvam intelligere omnes poterant: nihilo tamen minus, ut hodie pariter fit apud Græcos, in illâ ipsâ communi omnium scholâ alii erant, qvi in Christianismo tantum proficiebant, alii, qvi ad sacri ministerii ordinem majori eruditionis ubertate sese præparabant. Hosq; loco adducto intelligere Paulum, prædicatorum, ut dixi, conditio convincit. Ut adeò qvemadmodum hi Theologiæ studiosorum, ita Timotheus eâ in re non pastoris, sed doctoris partes sustineret. Eo planè & tendere Paulum existimandum est, qvando Titum in Cretâ reliqvisse se ait, *ut constitueret per singulas civitates presbyteros, sicut ipse ei præceperit.* Tit. I. 5. Immediatè qvidem presbyterorum vocatio intelligitur & ordinatio: sed dum ita constituendos presbyteros esse ait, ut ipse ordinaverit, jusserit, præscripserit, & verò Apostolus non potuerit Ecclesiis idoneos pastores, nisi præviâ diligenti informatione præficere, ultrò sequitur, eandem doctoris personam

& Tito

& Tito ante assumendam fuisse, qvam presbyteros ad Ecclesias reapse mitteret. Qvod & gravitas officii reqvirebat, ne qvis ineptus atqve indignus eidem intruderetur. Qvare nostrûs *D. Eilh. Lubinus* verba: *sicut præcepi tibi*, ita circumloqvitur: *sicut ego inde à te absens tibi ordinavi & disposui & cujus rei apud vos ipse initium feci, ostendens, qvo ordine & modo ulterius debeas procedere. Tu igitur, ut exemplum meum sequaris, singularem diligentiam & exactum judicium adhibebis.* Si verò Timotheus atq; Titus formare alios exemplo jussuqve Pauli ad futurum ministerium debebant, docendo nihil loqvendum ipsis erat, *præter id, qvod locuti sunt Prophetæ & Moses.* Act. XXVI. 22. Id enim fecisse Paulum & suummet testimonium comprobat & ipsa ocularis scriptorum Paulinorũ inspectio uberrimè confirmat.

V. Accedit ad hæc omnia ipsa ratio & indoles officii, qvod impositum esse Academico doctori omnes norunt, qvodqve in prælegendo, exponendo, interpretando S. Literas præcipuè consistit. Qvamqvam enim ad studium Theologiæ in toto complexu suo & summâ perfectione consideratum plura reqvirantur, qvam sola Scripturæ lectio, qvæ *Chytræus* noster, cujus sancta hodieq; apud nos auctoritas est, oratione de studio Theologiæ rectè inchoando ad seqventia capita reducit: *de textu S. Literarum, assiduè & attentè legendo, de summâ totius doctrinæ, in unum velut corpus methodicè redactæ, mentibus infigendâ, de præceptis artium dicendi & imprimis Dialecticæ & exercitiis disputationum, de studio linguarum, de lectione commentariorum & scriptorum veterum seu patrum, de historiâ veterum certaminum ac judiciorum Ecclesiæ, de studio Philosophiæ cum Theologiâ conjungendo, de experientiâ seu praxi doctrinæ, in doloribus, ærumnis & tentationibus ad usum transferendæ*; qvæ omnia

in memorabili illo opuſculo ſusè ac accuratè exeqvitur: inficiari tamen nemo poteſt, prævalere ubiq; S. Literarum lectionem & qvaſi utramq; facere paginam, partim qvia major Theologiæ cultorum pars illum perfectionis gradum, qvi momenta iſta ſingula exhauriat, non aſſeqvitur, ſed præmiſsâ qvalicunqve terminorum Philoſophicorum notitiâ, in comprehendendâ ex S. Literarum lectione doctrinæ ſummâ acqvieſcit, partim qvia cæteræ illæ Theologicæ eruditionis partes omnes nonniſi ad rectius intelligendam S. Scripturam & dogmata inde emanantia vel cognoſcenda vel defendenda, tendunt. Ex qvo evidens eſt, incumbere ratione officii & conſcientiæ Academico Theologiæ doctori, ut, ad qvoscunq; Theologiæ cultores oculos reflectat, Scripturarum prælectionem cæteris ſtudiis omnibus anteponat. Qvinimò cum præceptor qvilibet non tam mercenarii ludimagiſtri, qvam paterni informatoris officium gerat & cultorum Theologiæ animæ, profectus, perfectio, qvæq; inde & intenditur & ſperanda eſt, Eccleſiarum ſalus, ſuæ animæ, perinde ac auditorum Eccleſiæ vulgarium animæ paſtoris, commiſſæ ſunt, ad hoc qvoq; obligari Academicum doctorem palam eſt, ut qvemlibet Theologiæ ſtudioſum, cen filium ſuum, amet, ut non ſtudiorum tantum ejus, ſed & vitæ curam, qvâ poteſt, ſummam agat, ut ſi in devia eundem abripi, ſi impiè vivere, ſi perdere otio aut voluptatibus irreparabile tempus, ſi ſtudiorum ſuorum non rectum tenere ordinem, aut S. Literarum lectioni, cui à pueritiâ innutriri ipſum oporteret, vel inania qvæcunqve, vel certè non adeò neceſſaria, aut minus utilia, præhabere viderit, in viam reducat, precibus, monitis, comminationibus, ſi verò adverterit morem ipſum piis exhor-

exhortationibus gerere, currenti addat calcar, consilio auxilioqve eidem assistat & eluctari connitentem ad scientiæ fastigium deducat. Expendamus itaq; , qvotqvot in Academiis docemus, qvæ nobis depositа credita sint? Nempe non bruta animantia, vel ad laborem vel ad ludicrum artificium adhibenda; qvam tamen ad rem anxiam sæpe curam & ferreum ponimus laborem, eum tantum in finem, ut aliqvod inde nobis aliisve lucrum acqviramus: Sed hominum animæ, ad DEI gloriam & Ecclesiæ salutem educendæ. Qvantus olim invasit illuminatos à Dei Spiritu Prophetas terror, cum missi sunt ad verbum Dei hominibus annunciandum? Ut reluctati sunt omnibus viribus? Ut refugerunt? Qvibus verò hodieqve animarum in Ecclesiis cura committitur, occiniturq; illud supremi Numinis apud Prophetam: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israëlis, ut audias ex ore meo verbum & admoneas eos à me. Cum dixero improbo: utiqve moriturus es; tu autem non admonueris eum, neqve allocutus fueris, ut admoneas improbum, revocans à viâ ejus improbissimâ, ut serves eum, iste improbus in suâ impietate morietur, sed sanguinem ejus à manu tuâ requiram*, Ezech. III. 2. 3. qvod sibi sentiunt, qvamq; grave onus imponi? Qvam multi tanti edicti horrore ad sacerdotium *qværuntur cogendi, rogati recedunt, invitati effugiunt?* Ut cum Imperatore Leone loqvar. (a.) Faciamus itaq; & nos officium nostrum μετὰ φόβου καὶ τρόμου, neq; ullâ ratione negligamus animas, in fidem nobis datas. Qvælibet enim earum, qvæ cum ad Dei honorem publicumq; commodum adolescere poterat, nostrâ culpâ fine suo frustratur, qvasi fuso sangvine suo ad Deum clamabit, provocabitqve justum

(a) Leg. XXXI. Cod. de Epiſc. & Cler.

stum orbis judicem ad vindictam. Qvicunq; curæ nostræ subjecti sunt, non perinde ut Ecclesiæ auditores, privatas, sed publicas qvasi sustinent personas, qvippe publico omnes officio destinati; iisqve neglectis non privatum unius hominis commodum, sed integrarum Ecclesiarum utilitas intervertitur. Qvas ergo aliqvando, si officio nostro desimus, irato DEO reddemus rationes? Qvas anxietates in conscientiis nostris, cum lethali lecto affixi morituri sumus, perpetiemur? Cogitemus itaqve, qvicqvid agamus; *Dei est ultio, ipse rependet. Judicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei vivi.* Hebr. X. 30. 31.

VI. Innuit hujus, qvæ Academiarum doctoribus incumbit, curæ summum fastigium Paulus memorabili illo, qvo discipulos suos, Timotheum atq; Titum, alloqvitur, titulo, qvo eosdem non filios tantum suos, sed filios ἀγαπητὸς, *dilectos* & γνησίους *germanos* appellat. I. Tim. I. 2. II 2. Tit. I. 4. *Timotheum nominat filium*, ita D Æg. Hunnius, *non eo tantum modo, qvo senes juniores vocant suos filios, sed in fide, eò qvod Paulus eum, licet prius etiam esset discipulus Christi, in fide Evangelii plenius edocuit & confirmavit.* Ut nempe doctor discipulum. Qvam curam verò in filios suos, & qvidem ob morum venustatem & obseqvii subjectionem dilectos, non degeneres, sed germanos & genuinos paternarum virtutum imitatores, non profundit incensus flagranti amore parens? Qvid non laboris & operæ impendit, ut eosdem ad DEI gloriam & publici egregii salutem educat? Non ille ullam negligit occasionem, qvâ sive eosdem instruere salutaribus consiliis, sive incitare severis admonitionibus, sive erudire præceptis, sive firmare in proposito laudibus possit. Ad hæc obstrictum

se

se ipsâ naturæ στοργῇ & officio, à DEO sibi imposito, sentit. Si qvidqvam negligat sollicitudinis, privatim publiceqve, diu noctuq; in eosdem impendendæ, justi in cœlo judicis pœnam imminere sibi credit. Imitemur & nos in hac curæ anxietate Paulum. Qvoties se oculis nostris offert Theologiæ cultor, eundem ceu filium, à Deo nobis donatum, intueamur. Ardeamus omni eâ impensissimi amoris flammâ, qvâ provehere illum in altum & instrumentum facere gloriæ Divinæ qveam⁹. Si accedant ad Academias nostras, verâ vivaq; ex paternâ informatione fide imbuti, ex verbo Evangelii, i.e. sacrarum Literarũ tractatione, inculcatione, cõmendatione, pleni⁹ eosdẽ, *Hunnio* interprete, edoceamus & confirmemus. Si qvi ex magno numero sint, qvi vocem nostram audire recusent, qvi lectiones nostras monita nostra contemnant, aut semel freqventatas deserant, qvi ita latent, ut ne qvidem noti esse professoribus velint, consolemur nos Pauli exemplo, qvi non meros habuit γνησίους. Rectè *Hieronymus* ad hunc Titi locum: γνήσιος *hoc sonat, cum qvis fidelis & proprius & ut ita dicam, legitimus sive germanus absq; comparatione alterius appellatur. Ex qvo intelligimus, fuisse & in filiis Pauli plurimam differentiam, qvod alios haberet* γνησίους, *id est, germanissimos, sibiq; conjunctos & de vero matrimonio ac de liberâ procreatos: alios verò qvasi ex ancillâ & ex Agar, qvi non possunt hæreditatem accipere cum liberæ filio Isaac. Sermo qvippe & sapientia & doctrina, qvâ Titus Christi Ecclesias instruebat, efficiebant eum proprium Apostoli filium & ab omni aliorum consortio separatum.*

VII. Atq; inde etiam est, qvod Academiarum omnium leges atqve statuta Theologiæ Lectores ad S. Literas, tanqvam proprias professionis suæ partes, severissimè adstringant. Has & legere qvotidiè ipsi & prælegere aliis

&

& interpretari & commendare omni vi nixuq; jubentur. Cumq; aliarum Academiarum in hoc argumento instituta ab aliis passim sint producta, præsentis qvoq; hujus nostræ & intueri juvabit & expendere. Primò de Theologorũ publicis lectionibus ita disponunt, Statuto primo: *Doctores Collegii Facultatis Theologicæ in Academiâ Rostochiensi explicabunt scripta Prophetica & Apostolica, in eâ sententiâ, qvæ expressa est in symbolo Apostolico, Niceno, Athanasiano, in Confessione exhibitâ Carolo V. Imperatori Augustæ, ao. MDXXX. in Smalcaldicis Articulis & Libris Divini illius Lutheri, omnium Theologorum principis, qvem DEus ad instaurationem tetius doctrinæ cœlestis excitavit.* Deinde exprimunt, qvo pacto in hac prælectione ita versari eos conveniat, ut inde ad auditores salutaris usus redundet. Statuto septimo: *Dabunt operam Theologiæ Professores, ut Bibliorum textus à principio usq; ad finem,* (atqve adeò non una tantum alteraq; Scripturæ particula) *familiarissimè notus reddatur discentibus, ut testimonia de singulis doctrinæ partibus se offerant, qvandocunq; id reqvirit necessitas. Similiter etiam efficient, ut auditores infigant animis methodum seu summam doctrinæ, à DEO traditæ, distributam in certos locos, qvi eruditis definitionibus, partibus, causis, effectibus & corruptelarum refutationibus explicati sint.* Ex qvo primo Theologiæ Professori Doctrinæ aliqvod Corpus seu compendium, secundo priori biduo textus Bibliorum V. T. posteriori biduo N. T. ex Hebrææ Græcæq; lingvæ fontibus ordine absq; commentariis enarrandi, tertio scriptum aliqvod V. T. qvarto liber N. T. illustrandus, qvinto deniq; aliqvid ex patribus, prælegendum, attribuitur. Ut verò de privatis etiam cuiuslibet studiis & profectibus, ex publicâ lectione haustis, Theologis constaret, (cum plurimi

plurimi lectiones vel supinè negligant, vel parum frugiferos se præbeant auditores, confabulando stertendoq; tempus terentes) qvartum & tricesimum statutum hunc in modum constituit: *Decanus & Collegæ singulis qvadrantibus anni convocent eos scholasticos, qvi studio maximè Theologiæ se se dediderunt & per examen singulorum explorent assiduitatem, diligentiam & industriam, ut si vicinæ Ecclesiæ pastores & ministros petunt, idonei possint judicari.* Non est ulla ratio vel commodior vel utilior, auditorem ad attentam in legendo industriam excitandi, qvam lectorum examen. Sæpe grandia de scientiis nostris præsumimus, explorati defectus discimus agnoscere, pennasq; antea dilatatas contrahimus. Verum ubi qværenti respondere in promptu non est, atqve ideò in molestum nobis pudorem conjicimur, examina ista plericq; cane peius & angve vitare solemus. Nec ad easdem magis vi compelli possumus, ac in magnâ Ecclesiâ vel ad privata pietatis exercitia, (qvæ iis etiam in locis, ubi ingenti & insveto antea fervore colebantur, post prima principia vix octo decemqve auditores plerumq; complectuntur) vel ad catecheticas explorationes, totus Ecclesiæ cœtus, aut major etiam ejusdem pars potest adduci. Cumq; ex magno studiosorum grege, qvalis in Academiis fere deprehenditur, intra paucas horas vix decima eorum pars explorari per examen qveat, mutata à majoribus nostris lex illa fuit, ex qvâ statutum qvadragesimum septimum prodiit: *In omnium & singulorum studiosorum Theologiæ, (qvorum nomina, hospitia, conditiones Magnifici pro tempore Rectores indicabunt) studia, vitam ac mores sedulò inqvirendum, ita ut qvisq; eorum accersitus de methodo studiorum probè informetur & ad scrutinium verbi Divini atq; serium pietatis exercitium per gratiam DEI suscitetur fideliter*

liter. Qvilibet tamen judicare facile potest, neq; in Rectoris potestate, qvi hodie vivendi in Academiis mos est, nec in Theologorum id esse, qvod hac lege præcipitur. Nimirum privatorum postea collegiorum freqventia, per qvæ doctoribus Theologiæ cultores magis qvam convocatione ista, in magno civium numero ex se impossibili, innotescere cœperunt, effecit ut à legis illius rigore remitteretur qvidem, sed è contra triginta abhinc annis, affixo publicè programmate, omnibus singulisqve facultas concederetur, adeundi, vel certis hebdomadis diebus, vel qvocunq; tempore cuilibet libuisset, aut commodum esset, doctores, qvi parati semper esse deberent, ad eosdem vel erudiendos, vel consiliis librisqve juvandos, vel ad ostendendam studiorum viam. Adeò nempe laudatissimi prædecessores nostri conscientiæ stimulis urgeri se perpetuò senserunt, ut obligatos se ad gerendam paternam pro civibus suis curam omni occasione profiterentur, ne cuiqvam justa conqverendi evulgandiq; causa, ac si proficere in Academiâ ad solidam vereqvè Christianam sacrarum rerum sapientiam haud potuerit, subnasceretur.

IIX. Cum ex hactenus dictis planissimè constet summum & indefessum Academici doctoris studium in eo versari debere, ut S. Literarum haud perfunctoriam notitiam Theologiæ cultoribus instillet, ultrò conseqvitur, non reqviri tantum in Professore eruditionem Biblicam, qvâ cæteros sui ordinis omnes vincat, accuratam & perfectam, sinceram item & ab omni cum errore collusione alienam, sed ut ad officium cumprimis suum sedulitatem & contentionem, qvæ omnes nervos ad assеqvendum tam sanctum finem impigrè intendat, adferat; memor divinæ comminationis, meritò metuendæ: *maledictus, qvi facit*

facit opus Domini, (ignavâ operâ, qvâ alios turpiter defraudet, i.e.) *fraudulenter*. Jerem. XLIIX.10. Cum qvâ verò induſtriâ ſororio vinculo connexæ & cæteræ virtutes eſſe debent; præcipuè fidelitas, qvâ diſcipulum ſuum, qvod multos facere videmus, nihil celet, nihil diſſimulet eorum, qvorũ ipſe eſt gnarus, ſed ut ad communicandum doctrinæ ſuæ divitias tam pronus ſit, tam promptus, ac ſi effundere in ipſum uno omnia momento vellet, (ſunt enim & Academiarum doctores *myſteriorum Dei diſpenſatores. In œconomis autem nihil tam reqviritur, qvam ut fideles inveniantur.* I. Cor. IV. 1.2.) & prudentia, qvâ diſcentis ſe accommodet ingenio, ætati, ſcopo, profectui. Nec enim omnia poſſumus omnes, nec ad unum finem contendunt univerſi. Id fecit olim Apoſtolus, qvi: *non potui vobis*, inqvit, *loqvi ut ſpiritualibus, ſed locutus ſum, ut carnalibus, id eſt, ut infantibus in Chriſto. Lactis potu vos alui & non eſcâ, nondum enim poteratis id ferre, imò ne nunc qvidem adhuc poteſtis.* I. Cor. III. 1.2. Docuitq; id omnis prudentiæ magiſter, cum variæ doctrinæ ſermonem ita concluſit: *omnis ſcriba edoctus ea, qvæ ad regnum cœlorum propagandum pertinent, ſimilis eſt homini patrifamilias, qvi, prout opus eſt, profert ex theſauro ſuo nova & vetera.* Matth. XIII. 52. Nec abeſſe ab Academiæ doctore debet patientia, qvâ infirmitates auditorum ſuorum toleret, nec ob illorum vel deſidiam vel improbitatem ab officio ſuo remittat. Sunt in numerosâ adoleſcentum freqventiâ capita multorũ præfracta & cervices qvorundam obſtipæ, qvibus, ſi & ſudaveris & alſeris, nunqvam tamen vel Siſyphio labore intruſeris eruditionem. Aliis, dum vel otio torpent, vel voluptatibus diffluunt, vel vitiis ſceleribusq; diu noctuq; ſeſe involvunt, vitam citius ademeris qvam peccandi conſvetudinem.

tudinem. Sunt, qvi si ad frugem, ad honestatis & obsequii amorem serio illos revocare fueris annisus, ludibrio te habeant, plumbeas adversus præceptorem gerant iras, convitiorum plaustra eructent, pro auro, qvod dici solet, carbones rependant. Qvicqvid criminis in his hæret, qvanticunq; aliqvando evadant stipites, fruges consumere nati, ad bona qvælibet & Reip. utilia inepti, id omne tamen non ipsorum culpæ, sed magistrorum negligentiæ adscribitur. Ex qvibus licet nausea fido præceptori, qvo minus laboribus suis instet, oboriri possit, devorandum tamen est forti animo, qvicqvid id est mali, neqve cessandum ab opere, cui te Divina alligavit voluntas. Si vel qvinq; vel decem vel viginti centum inter sint probi, ad rem attenti, Divinarum literarum amantes, audientes præceptoris sui, spem de se facientes haut vulgarem, summa & ingenua, qvam inde capias, voluptas omnem illam molestiam, qvam reliqva Academiæ dedecora tibi intorqvent, absterget & reddet qvovis melle dulciorem. Nunqvam fessæ erunt boni piiqve doctoris manus, si auribus ipsius perpetuò insonuerit vox: *redde rationem dispensationis tuæ.* Luc. XVI 2.

IX. Hæc verò universa qvamqvam omninò ita se habeant, non tamen sufficiet, Academicum doctorem ad nudam rerum sacrarum notitiam, seu eruditionem Theologicam, suæ disciplinæ alumnos per ipsam Scripturarum lectionem deducere, sed reqviritur insuper, ut ad pietatis simul serium & indefessum studium non minori curâ & diligentiâ eosdem inflammet. Non constat mihi de qvoqvam, qvi hoc unqvam negaverit. Adeò res, ut sol in meridie, clara est. Qvi diversum qvibusdam visi sunt asseruisse, eorum docendi potius praxis, qvam diserta docentium

centium ſententia, id ut crederent, commovit. In exponendis enim libris Biblicis videbantur multa de vocum & phraſeon ſignificatione fusè diſputaſſe, ſollicite inqviſiviſſe in hiſtoriarum minutiſſimas circumſtantias, ſenſum è conſideratione locorum magis curiosâ qvam neceſſariâ adverſus ſectarios, dictis abutentes, vindicaſſe, exinde in immenſum multiplicaſſe controverſiarum, qvæſtionum, certaminum vel de vocabulis vel de ſententiis numerum, susq́, deq́ habito Divini ſenſus uſu, qvi in applicatione ad veram & Chriſtianam pietatem conſiſtit. Qvaſi nimirum ſalutaris verbi Divini tractatio in merâ vocum theoriâ, in hiſtorico locorum ſenſu & concertationibus cum adverſariis conſiſteret: ut adeò is pro bono exactoq́ Biblico habendus eſſet, qvi loqvi multa copiosè, eruditè, accurate & refellere ſubtiliter veri ſenſus hoſtes, non verò qvi ſuccum & ſangvinem ex lectis trahere ad Chriſtianismi ædificationem poſſet. Innuit hunc morem, in eundemq́; juſto Zelo invehitur *Chytræus* noſter, eâ, qvam jam ſupra laudavimus, oratione, qvâ docetur, ſtudium Theologiæ exercitiis veræ pietatis & virtutis potius, qvam contentionibus & rixis diſputationum colendum eſſe. Conqveritur, reperiri in templis & ſcholis Theologos, qvi diſcipulos ſuos ἐριστικὰς & ἀντιλογικὰς potius, qvam pios & DEum verè timentes reddere conentur, qvi doctrinam qvidem & ſcientiam communicandam iis eſſe ſentiant, exemplo verò pietatis, patientiæ, manſvetudinis & cæterarum virtutum auditores doctos ad regnum cœlorum, pios, humiles, modeſtos, veraces caſtos, beneficos, hujus vitæ & conſvetudinis cum DEO æternæ flagrantes efficere non annitantur. Hodieqve multis locis verum eſſe, qvod jam olim *Gregorius Nazianzenus* deploraverit;

raverit: optimum vulgò censeri, non qvi in timore DEI qvietus sua agat, nec verbum proferat otiosum, sed qvi Cadmæa cum qvibuslibet prælia misceat; qvi aliorum errata observet, non ut corrigat, sed ut exprobret, non ut sanet sed ut contumeliosè objiciat; qvi omnibus rixis suis fidem prætendat & hoc venerabile nomen privatis contentionibus & odiis distorqveat.

X. Econtra verò decere Theologiæ doctorem, ut auditores suos non ad intellectum tantum sacrarum literarum, sed & earum in omni vitâ usum, non ad notitiam tantum Dei sed & amorem atqve imitationem deducat, atq; adeò eosdem non doctos tantum & scientes, sed pios etiam & præceptorum Dei observantes faciat, id pariter sancti magistri nostri ex eadem oratione verbis docebimus. *Est Theologia*, inqvit, *& religio Christiana non in cognitione & scientiâ doctrinæ solâ & multarum artium peritiâ, sed in vero timore Dei & fide Christi ac obedientiâ erga Deum & officiis beneficentiæ erga proximum præcipue sita. ---. Hoc veræ Theologiæ & pietatis Christianæ studium eò majori curâ & diligentiâ nos in scholis & templis docentes urgere & aliis commendare necesse est, qvo propius ruere omne studium religionis & pietatis sinceræ & Theologiam rursus in sophisticam, seu potius furores curiosarum disputationum, degenerare videmus. --- Paulus ipse demonstrat, veram pietatem & religionem Christianam non in notitiâ doctrinæ solâ, vel cognitione liguarum & donis ingenii, doctrinæ, eloqventiæ, miraculorum, multò minus in rixis disputationum &, qvæ conjuncta ferè sunt, virulentiæ, odiorum & maledictorum plaustris, sed in dilectione Dei & proximi, virtutum omnium maximâ & veram Dei notitiam simul complectente, sitam esse ---. Nec verò improbo aut damno liberalium artium & linguarum cognitionem, sed hanc studio-*

sè pa-

sed parandam, & non solum ornamento esse Ecclesiæ Christi, verum etiam explicandæ & illustrandæ Prophetarum & Apostolorum doctrinæ utiliter servire & necessariam esse affirmo. At idem ego contendo, longè præstantiores virtutes esse veram pietatem, experientiam certaminum spiritualium, patientiam in cruce, fiduciam in Deo acquiescentem, prudentiam & usum vitæ, dilectionem Dei & proximi; nec satis esse, Theologi mentem præclaro acumine & eruditione politam & plectrum linguæ volubile esse, nisi voluntatis & cordis obedientia erga Deum, vera pœnitentia, fides, consolatio, patientia, dilectio proximi non simulata accedat. (b.)

X. Usus, qvi ab Academico doctore Theologiæ auditori in S. Literarum tractatione ostendendus est, duplex esse deprehenditur. Alter in applicatione rerum lectarum ad semetipsum consistit, ut nempe doceatur auditor, qvod lectionem S. Scripturæ non ad nudam veri sensus speculationem dirigere & ingenium tantummodo legendo, ruminando, investigando, judicando, disputando exercere, sed ea, qvæ legit, qvæq; intelligere adlaborat, è vestigio fini suo aptare, id est, vivam fidem, ardentem pietatem & omnium virtutum & officiorum praxin animo inprimere, impressam verò sedulò & semper urgere debeat. Alter modum concernit, qvo hunc olim fructum in Ecclesiastico, cui se consecravit, Ministerio procurare, id est, omnes muneris sui partes ritè & diligenter obire, auditores suos docere, convertere, confirmare & pro illorum diversitate easdem illis ingerere virtutes qveat, qvæ ipsi qvondam implantatæ fuerunt. Adnitendum itaqve fuerit, ut auditorem suum Academiæ doctor adsvefaciat, ne Divinum hoc opus, Bibliorum lectio-

(c.) Or. p. 47. - 478. 479.

ctionem, sine fusis ad Dei Spiritum, qvi solus laborem ipsius salutarem reddit, precibus, sanctisqve suspiriis aut aggrediatur, aut perficiat. Ut ad meditationem, ex lectione instituendam, animum devotum, humilem, Deiq; reverentem adferat, semperq; ipsi discrimen inter sacra & profana scripta, qvorum illa superiori lumine, ut cum fructu legi qveant, indigent, hæc ut comprehenduntur solâ ratione, ita ejus solius viribus ad praxin diriguntur, sedulò inculcet. Ut deniq; subinde doceat, qvem ad scopum singula, qvæ leguntur, sive in vitâ privatâ, sive in publico officio, sive in conversatione civili obtinendum, referre debeat, rejectis & insuper habitis rebus & qvæstionibus futilibus, otiosis, frivolis, minusqve necessariis. *Qvæ enim dementia est, supervacua addiscere velle in tantâ temporis egestate?* ait Seneca.

XII. Qvamqvam id operosè comprobare frustraneum esse videatur, qvod dum mente comprehenditur, assensum ita illicò impetrat, ut nemo facile ausit negare, Paulum tamen, Titi atq; Timothei doctorem, omnium nempe aliorum exemplum, denuò intueamur. Is verò per utramq; epistolam id agit, ut hos discipulos suos perfectos formet Dominici gregis pastores. Qvos verò non mente tantum rectè, sobriè, purè de Deo rebusq; Divinis ex divino verbo sentire, sed voluntate etiam & affectu unicè in Deum ferri, hunc abnegatâ mundi impietate infucato amore complecti & sanctis exprimere moribus, deniq; officii sui partes ad normam S. Literarum indefesso studio vult administrare. Qvid enim hoc aliud est, qvam cum rogat, cum obsecrat, cum exhortatur, ut *bonam militiam exerceant, fidem q; & bonam conscientiam servent.* I. Tim. I. 18 19. Ut *officium suum sobriè, temperanter, juste, inculpatè ob-*

beant,

beant, alieni ab omnibus vitiis, qvæ malorum ipsos criminationi obnoxios reddant. I. Tim. III. 2. f. Tit. I. 7. f. *Ut rejectis fabulis pietati se dedant, ad omnia utili.* I. Tim IV. 7. 8. *Ut sint exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in Spiritu, in fide, in castitate.* I. Tim. IV. 14. *Ne manus citò imponant & faciant se participes alieni peccati, sed se exhibeant castos.* I. Tim. V. 22. *Ut persequantur justitiam, pietatem, fidem, charitatem, tolerantiam, lenitatem & certamen præclarum detertent.* I. Tim. VI. 11. 12. *Ne se secularibus involvant negotiis & ut afflictiones tolerent.* II. Tim. II. 22. *Ut juveniles voluptates fugiant, sectentur verò justitiam & fidem & charitatem & patem.* II. Tim. II. 22. *Ut vigilantes sint in omnibus, tolerentq; mala & faciant opus bonorum Evangelistarum & ministerium suum adimpleant.* II. Tim. IV. 5. *Ut in qvalibet re typum seipsos præbeant in omnibus operibus bonis: in doctrinâ verò exhibeant integritatem, gravitatem, sermonem sanum, incorruptum, ut qvi ex adverso est, erubescat, nihil habens, qvod de ipsis dicat, mali.* Tit. II. 7. 8. Et qvidem, ut has tantas virtutes, hæc ornamenta ex uberrimo penu discant sacrarum Literarum, qvæ lectorem industrium & devotum *erudire possint ad salutem, qvæ est in Christo Jesu; cum omnis Scriptura, à DEO inspirata, utilis sit ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam in justitiâ. Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.* II. Tim. III. 15. 16. 17. Neqve est, qvod qvisqvam obtendat, Ecclesiæ ministrum, non Theologiæ studiosum instituere Paulum; cum Theologiæ Studiosus sit futurus Ecclesiæ minister & adeò ad ministerium ab Academico doctore præparandus, absurdumqve sit, qvidqvam vel ad officium vel ad virtutes pertinere Ministri, qvod ad curam & informationem non spectet Academici

mici doctoris, qvippe qvi Miniſtrum format non ſecundum aliqvam tantum ſui partem, ſed ſecundum omne id, qvo eſt Eccleſiæ miniſter.

XIII. Nec minorem in ſe ad plantandam à doctore in cultoribus Theologiæ pietatem obligationem ipſum Theologiæ nomen prodit, qvæ eſt habitus τῆς ἐπιγνώσεως τῆς ἀληθείας κατ' εὐσέβειαν, *notitia veritatis ſecundum pietatem.* Tit. I. 1. Dubium non eſt, particulam κατὰ, ut alias plerumqve, ita & hoc loco, id qvod generalius dicitur, ad certum reſpectum ſpecialiorem qvaſi limitare. Qvemadmodum in verbis immediatè antecedentibus Paulus ſe vocat Apoſtolum, κατὰ πίστιν & ἐπίγνωσιν, *ſecundum fidem & Theologiam* Chriſtianam, eò qvod hujus ipſi prædicatio & in univerſum mundum diffuſio commiſſa eſſet; poterat enim ἀποστέλλεσθαι ſeu mitti ad alia obeunda officia: ita ipſa notitia veritatis, qvæ generatim etiam de merè theoreticâ ſcientiâ intelligi poterat, per idem vocabulum, κατὰ, ad praxin τῆς εὐσεβείας ſeu pietatis, qvæ in Chriſto eſt, reſtringitur; ut adeò Apoſtolus ob officium prædicandæ veritatis, non omnis, & qvalitercunq; conſideratæ, ſed qvâ illa ſecundum veram in Chriſto pietatem ſpectatur, Apoſtolum ſe appellare profiteatur. Non eqvidem limitativa illa particula cognitionem veritatis & pietatem naturali & phyſico, eoq; indiſſolubili nexu ita conjungit, ut ne concipere qvidem nedum agnoſcere poſſis veritatem absqve pietate; qvo nihil abſurdius unqvam aut à mente Apoſtoli alienius dici poſſet, (nam & juris civilis doctor ita dicitur, non ſecundum qvamlibet, qvæ in ipſo eſt, ſcientiam, ſed juxta notitiam legum Romanarum, qvæ tamen notitia legum non ſecundum nudam theoriam ſed praxin juſtitiæ intelligenda eſt: qvo tamen non

non obstante notitia legum & justitia, φυσικῶς loqvendo, separari possunt, neç ideò veram legum notitiam amittit, qvi injustè contra ea agit, immò qvia volenter & scienter contra leges delinqvit, veram legum scientiam uterq; habeat necesse est.) Sed qvod cognitionem veritatis & pietatem morali copulâ consociet, dicatq; ad qvid ex instituto Dei notitia tendere debeat, ut DEO grata & homini salutaris sit; qvo verò non obstante, loqvendo de physicâ potentiâ, dissolvi utiq;, manente verâ notitia, neq; de veritate suâ, in se & extra praxin seu relationem ad eam spectatâ, qvidqvam amittente, notitia & pietatis, praxis possunt. Qvâ de re qvidem alibi à me copiosius dicetur: nunc verò sufficit, in definitione Theologiæ scientiam veritatis & pietatem ita combinari, ut ex voluntate saltem Divinâ divelli nunqvam debeant. Id autem si verum est, nunqvam Divinam ex sacris Literis veritatem docere Academicus doctor, salvo instituto DEI, poterit, qvin eandem ad praxin perpetuò dirigat, adeoq; præ legendo auditores suos non eruditos tantum, sed &, qvantum in se est, pios & mandatorum Divinorum obseqventes reddat. Qvod mihi fuerat demonstrandum.

XIV. Illa lectarum Scripturarum facta à doctore ad usum applicatio variis contingere modis cernitur. Nonnulla in Scripturâ in se ita comparata sunt, ut legentem vel audientem citra ullam aliam operationem ad Divinarum virtutum praxin dirigant, ut sunt admonitiones, exhortationes, comminationes, consolationes. Ceu cum lego apud Prophetam: *Dictum Domini, convertimini ad me toto animo vestro & jejunio & flectu & planctu. Lacerate corda vestra, ac non vestes vestras & revertimini ad Dominum DEum vestrum, qvia gratiosus & misericors est, longanimis & [illegible]*

benignitate & qvem pœnitet mali. Joël. II. 12. 13. Aut cum Paulus scribit: *Qvid igitur dicemus; permanebimus ne in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qvi mortui sumus peccato, qvomodo vivemus in eo rursus? Ne igitur regnet peccatum in corpore vestro mortali, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Rom. VI. 2. 12. Innumera id genus, apud Prophetas præcipuè & in N. T. Epistolis occurrunt. Ipsa horum verborum sententiarumqve prælectio & expositio nihil aliud qvam applicationem in se continet doctoris. Is enim si doctrinam de conversione hominis peccatoris ad DEUM, justo ordine pertractatam, applicare ad auditores suos voluerit, qvo alio verborum vel apparatu vel pondere facturus id esset? Ipse propheta & Apostolus hæc dicendo, ad usum auditorii sui fidei illum articulum transtulerunt, qvîd ni & id faceret hodie, qvi verba illa repetit & inculcat? Verbum Divinum, in se ipsum conversionis à peccato præceptum mediumqve, invitationem, excitationem, vocationem, inflammationem, persvasionem, compulsionem, complectens, utrum à doctore propositum has virtutes amittere, adeoqve Academicus doctor tale verbum proponens & explicans, non & ipse per verbum, à se tractatum, auditorem suum ad vitanda peccata & sectandas virtutes invitare, excitare, vocare, inflammare, persvadere, compellere dici poteft? Mera nempe talium propositio est ad veram vivamqve pietatem adductio. Et qvi negat, doctorem, verbum ad fidem & pietatem per se efficaciter adducens proponentem, non & ipsum adducere vi efficaci ad fidem & pietatem, is aut inficiari necesse habet, competere verbo divino intrinsecam, neqve ab illo, à qvocunq; demum tractetur, separabilem virtutem, hominem commovendi, immutandi, convertendi; aut

nega-

negabit Ecclesiæ vel Academiæ doctorem unà eademqve cum verbo, à se proposito, actione in effectum, verbo competentem, influere. Qvod utrumq; & manifestæ S. Scripturæ literæ & consentienti Augustanæ Confessionis doctrinæ est adversum.

XV. Qvæ de cætero facer in se codex complectitur, diversam habent indolem. Qvamqvam autem ultimò omnia ad praxin referenda sint, qvædam tamen proximiori, alia remotiori viâ eò tendunt. Cumq; sive illa prioris sive hæc posterioris generis, ut ordinatũ solidumq; praxi fundamentum præbeant, accuratiori notitia opus habeant; qva de causa etiam plurimæ historiæ fusè sæpe atq; copiosè recensentur, in harum istarum rerum theoriâ, id est, consideratione & scrutinio prolixius doctorem Academicum occupari, planè inconveniens non est. Imò qvamqvam reipsâ divelli notitiam harum veritatum Divinarum vel à praxi vel à directione ad praxin nunqvam deceat, absurdus tamen stolidusq; esset, qvi Divinas veritates ne qvidem nuda speculatione tractari posse contenderet. Nam ut qvæ naturaliter indivulso & ita arctissimo nexu conjuncta sunt, ut ne qvidem ullâ naturæ vi disturbari qveant, tamen in docendi ordine sejungi & considerato uno seponi alterum potest: ita multò minus in moraliter connexis idem fieri qvicqvam impediet? Utrobiq; intellectus humani qvi rerum perfectiones, qvantumvis unitissimè conjunctas, uno tamen intuitu, qvod solius Dei est, complecti neqvit, infirmitati consulitur; prudentiæqve doctoris relinqvendum est, qvo pacto ad auditorum suorum deficendere captum, qvoq; ordine singulas Divini thesauri divitias iisdem pandere & distribuere velit. Superstitioni haud absimile est, unite methodo ita alligare, ac si ab eâ so-

lâ salutaris tractati verbi Divini usus dependeat, cæterosq; qvi cerebri tui pruritum non adorant, tanqvam fungos spernere & impietatis nomine traducere. Nam & integri historiarum libri in Scripturâ reperiuntur, ubi, qvæ enarrantur, non applicantur ad usum. Si itaqve sanctissimus Spiritus dictare illos & lectoris notitiæ exponere potuit, ut non adderet statim sive doctrinæ porismata, sive eorundem ad Christianam vitæ pietatem traductionem, sed hanc lectoris industriæ, ex aliorum librorum Biblicorum collatione hauriendam, relinqveret: cur non hoc exemplo possit Academicus doctor eundem librum, qvoad meram rerum in eo contentarum notitiam auditoribus suis exponere, & qvæ ad praxin, ex eo colligendam, pertinent, ad commodiorem occasionem differre? Dummodo id det operam, ne dũ scientiã nunc inculcat, praxin alio tempore planè prætereat. Qvid deniq;, si etiam dicendum fuerit, plurimarum veritatum Divinarum notitiam, de Deo, de SS. Trinitate, aliisq;, solam in se, non separatâ qvidem, abstractâ tamen aliarum virtutum praxi, rem piam, Deoqve placentem esse, adeoqve pietatis, qvæ in Christo Jesu est, partem? Id eqvidem sentire illi videntur, qvi Theologiam nostram partim in theoriâ, partim in praxi, ceu habitum qvendam mixtum ultimo consistere sunt persvasi. Qvorum ex sententiâ ut sola etiam maximorum mysteriorum consideratio, ob insitam ipsis dignamq; intimâ perscrutatione majestatem, summè laudabilis est: ita separatâ à reliqvis virtutibus contemplatione de eâdem à Theologo agi absurdum non est. Nempe sola hæc notitia, qvantumvis in se verè bona, hominem tamen sola DEO gratum reddere neqvit, qvia DEUS, ut ipsi gratus sis, plura reqvirit; ad eum modum, qvo

una,

una, qvæ voluntatem ornat, virtus, utpote justitia, verè bona in se est, etiam non relata ad alteram v. g. sobrietatem, Deoqve placet, qvamqvam homo ipse Deo ideò placere neqveat, qvia, ut pluribus animum virtutibus instrueret, eidem injunxit.

XVI. Hæc verò tametsi ita se habeant, diffitendum tamen non est, ex singulari consilio Divino verbo in se efficaci accedere ejus ministerium, ad qvod & Academicæ functiones pertinent, debuisse, ut verbum Divinum non proponere tantum & tractare, sed ad personas actionesq; peculiares, informando, excitando, admonendo, dehortando, consolando, adplicare deberet. Non qvod verbo in se horum qvidlibet desit, qvippe *qvod est potentia DEI ad salutem omni credenti.* Rom. I. 16. adeoqve nullâ re, qvâ salus hominis procurari promoveriq; potest, destituitur; sed qvod ex personæ vitio neq; cognoscitur semper, prout debebat, verbum, nec obstacula omnia, qvæ ejus salutarem operationem impediunt, removentur, hi ipsi verò defectus ministerii opera, qvippe ad hoc ipsum institutâ, tolluntur, ut verbo vis sua in subjecto, antea non rectè affecto, nunc verò prævia doctoris tractatione ordini Divino obtemperanti, constare qveat. Ita palam est, adversus omnis generis immunditiem, luxum, Venerem, iram, qvicqvid usqvam præsidiorum est, in S. Literarum promptuario inveniri. Describuntur scelera ista ab omni eâ turpitudine & deformitate, qvæ ipsis inest. Depinguntur in exemplis ad horrorem usqve. Repræsentatur serium Divinæ voluntatis mandatum, qva ut ipse ab iisdem naturæ suæ proprietate abhorret, ita qvemlibet nostrum ea & fugere vult & detestari. Dehortatur ab iisdem, comminatione pœnæ non vulgaris, sed terribilis & æternæ. Invitat ad

virtu-

virtutes, iisdem oppositas, promissione præmii inæstimabilis & nunqvam terminandi. Hæc tanta adversus probitatis pietatisq; professos hostes arma ubere copiâ S. Literarum penu suppeditat. Sed qvi iis se immergit vitiis, ea videre & legere negligit. Qvod si videat legatq;, oculi ipsius vitiorum voluptate & amore ita tenentur fascinati & constricti, ut videre se haud animadvertat. *Videndo non videt & audiendo non intelligit.* Luc. IIX. 10. Qvicqvid eâ de re oculis se ipsius ingerit aut menti, ad se nihil pertinere putat. Probat Scripturam, flagitia abominantem, non improbat flagitia, à se perpetrata. Huic torpori Academici doctoris ministerium succurrit, ignaviam somnumq; excutit ex oculis, qvæ in Scriptura in vitium dicuntur, ad mentem revocat, ea cum propriis actionibus componere jubet, qvo in misero periculosoq; statu sit constitutus, qvi iisdem indulget, commonstrat, rogat, *obsecrat per Christum, ut Deo se* verâ pœnitentiâ *reconciliet.* II Cor. V. 20. Criminis fœditati virtutis Divinam pulcritudinem opponit, illius supplicia, hujus beneficia exaggerat. Nihil omittit, qvo scripturæ lectio, antea ab ipso suppressa, qvasi recipiat vitam & ignis, fumo cineregve obrutus, erumpat in flammam.

XVII. Atq; hoc citra dubium intellexerunt, qvi negarunt, ad verum verbi Divini fructum percipiendum, sufficere nudam Sacrarum Literarum propositionem, qvantumlibet in se potenti efficaciâ præditam; nec satisfacere Academiæ doctorem officio suo existimant, si historias cumprimis sacras, aut regulas fidei vitæq; generales, Literalem earum sensum commonstrando, tantum exponat, sed reqviri præterea dictitant, ut doctrinarum ubiq; usum, & ad pios mores, (qvorum altum esse in Academiis silentium

lentium proclamant) traductionem, admonendo, dehortando, excitando, adjiciant. Eqvidem ex dictis constare potest, haud frustra eos in Academiis, qvi illius hactenus rei negligentiores fuerunt, admoneri, nec monitiunculâ istâ insitæ Scripturarum virtuti qvicqvam derogari. Planè idem & in tradendâ atqve exponendâ morum Philosophia haud ita pridem desiderarunt, qvi publici egregii gesserunt curam; nempe dogmata in Ethicis, (voce ex Stoicorum disciplinâ petitâ) vulgò doceri, omitti præcepta, qvas & ὑφηνέσεις vocarunt. Qvam distinctionem seduló evolvit sectæ illius incomparabilis restaurator, *Justus Lipsius*. (c.) Sunt autem dogmata, ipsa de virtutibus, bonisque actionibus scita atq; placita, qvâ earum scilicet ex principiis suis descriptiones eruuntur, definiuntur, defenduntur; qvid illæ sint, ut à vitiis & virtutum larvis differant; quid bonum sit, qvid honestum; qvo pacto frugaliter, innocenter, castè vivendum sit? exponitur & disseritur. Præcepta verò, quod ipsa vox sonat, propositis præmiis pœnisq;, rogando, exhortando, stimulando, jubent & injungunt facere id, quod in decretis atq; dogmatibus justum esse primumque probatum fuit. Brevi & nervosâ sententiâ hæc duo discernit *Seneca*, illâ ipsa epistolâ, quâ: utrum dogmatica, an paranetica pars Philosophiæ utilior? & an altera sine altera sufficiat? disquirit, qvæ est numero XCIV. cum ait: *contemplationem instituto tradit, actionem admonitio*. Utrumq; doctrinæ genus vim habet instillandæ virtutis. Etiam dogmata seu consulta, utprimum vel ipsâ naturâ duce, quod fit ἐν κυρίαις δόξαις, in summis qvasi sententiis seu notionibus, vel præcedente demonstratione, ut fit in cæteris placitis, inde deductis, menti il-

(c.) Manud. ad Stoic. Phil. Diss. XII. p. 709. s.

ti illabuntur, eandem ipsâ bonitate ſuâ movent ad agendum. Ut ſemen, in bonam terram jactum, ſæpe ſine ulteriori cultu, diffunditur & ſe explicat atq; multiplicem fructum profert. Qvare & dogma *ex veri rectiq;* ſcitè Senecæ dicitur. Præcepta tamen apertius promovent, occultius dogmata. Eleganter pro more ſuo J. Lipſius: *Sicut manuum, pedum & membrorum uſus in aperto eſt & ſenſibus incurrit; in abdito cor & Spiritus illi ſunt, qvi motum & impetum hunc donant: ſic de præceptis dicere poſſis, palam juvare, latenter decreta. Ego verò & aliâ ſimilitudine rem ingeram & ſimul ordinem dicendorum. Sicut in arbore radicem habes, ex eâ truncum, ex hoc ramos, deinde ramulos aut flagella: ſic in Philoſophiâ ſcito, primum aliqvod decretum inſtar radicis habere, proximum ut truncum, minora ut ramos, denicq; copiam illam præceptorum ſuccedere & ex iis ſurgere, verè flagella ad animos erigendos & incitandos.* Qvamobrem tametſi ſine prævia, eâq; accuratâ dogmatum conſtitutione, qvid aut qvomodo agendum tibi ſit, in rebus præcipuè à generalibus illis ἐννοίαις longius remotis, ignores, decretaqve viam tibi pandant, modumq; agendi, ὑποτυπώσεις tamen & præcepta, decretis individuo contubernio juncta, neſcio qvâ vi fortiori commovent: *admonitione enim*, ait Seneca, *dogmatum ſemina excitantur, non aliter qvam ſcintilla flatu levi adjuta, ignem ſuum explicat.* Idem prorſus in lectione Scripturarum, in deducendis inde dogmatibus, inq; formandis præceptisatq; admonitionibus contingere, vel nuda Philoſophiæ cum Theologiâ collatio docebit.

XIIX. Sunt qvidem in ſacris Scripturis plura, qvæ non tam mores hominis Chriſtiani, qvam fidem concernunt, neq; qvid agendum ſit, ſed qvid credendum, exponunt. Hæc ipſa tamen perpetuum habent ad pietatis opera reſpectum,

ſpectum, dicente Apoſtolo: *fidem eſſe per charitatem efficacem.* Gal. V. 6. Qvare & in his praxin oſtendi, non conveniens tantum eſt, ſed & neceſſarium. Qvæ verò morum in ſe continent vel regulas, vel exempla, vel monita, propius pietatis negotium, qvatenus illud in operibus, voluntati Dei congruis, conſiſtit, attingunt; hancq; Theologiæ partem, qvæ ideò Theologiæ Moralis nomine vulgò inſignitur, in Academiis non minus, ac eam, qvæ vel Didactica vel Polemica audit, ſollicitè tradendam eſſe dubio omni caret. Eâ enim vel maximè, qvæ vita Theologiæ cultoribus, abdicatis carnis cupiditatibus & mundi illecebris, ducenda, qvid in officio olim ſuo & communi cum Chriſtianis converſatione, ut Deo placeant, agendum, qvo pacto ad conſcientiæ puritatem & ſanctimoniam optimorum morum omnes actiones dirigendæ ſint, erudiuntur, & ſi graviſſimæ pariter atqve amabiliſſimæ paræneſes accedant, ad eorum omnium praxin jucundiſſimè ſvaviſſimeq; deducuntur.

XIX. Dum Theologiæ Moralis mentionem facio, non ægrè feret ingenuus lector, ſi communem de hujus in Eccleſiâ noſtrâ defectu qverelam huc repetere, virosq; in omni eruditionis genere excellentes ad uberiorem ejus culturam, bono eqvidem publico profuturam, excitare inſtituam. Nam neq; Moralem Theologiam in univerſum, cujus eqvidem compendia qvædam & Tabulæ laudatiſſimâ operâ ex aliqvo tempore concinnari cœperunt, methodo diſciplinis convenienti ſatis accuratè atqve diffusè pertractatam eſſe videmus, neq; qvi proponere eandem ſub conſiliorum qvæſtionumqve ſchemate, qvantumvis grandi voluminum mole, adniſi ſunt, omnia ita exhauſerunt, ut informari cupido ubiq; ſatisfaciant. Plericq; diſperſos

sperſos vel in libris vel in ſcriniis caſus, nonnunqvam nec ordinem addentes aliquem, tantum collegerunt. Alii reduxerunt ſub certas claſſes, certaque capita. Non inficior complura eſſe, in quibus diſcutiendis ſummum utiliſſimumq; ſtudium noſtri poſuerint. Videas, quæſtiones poſt multiplicem & ſollicitam rei indaginem ex veriſſimis ſolidiſſimisque fundamentis definitas & ne quæ menti hæreat dubitatio, ab omni eo, quod in contrarium poterat objici, ingenti induſtriâ liberatas. Sed ut non ubiqve eandem vel eruditionem vel diligentiam ſimilem, qvi in eo inſtituto verſati ſunt, adhibuerunt: ita ſubinde eſt, qvod deſiderare qveant, qvi vel in vitâ ſuâ vel officio variis rerum caſibus diſturbantur. Non credo facile qvemqvam eſſe, qvin huic defectui aptari medicinam, hancq; operam, Moralem Chriſtianorum Theologiam, ad majorem, qvam qvâ vulgò conſpicitur, perfectionem deducendi, à Theologis, qvi cum theoriâ praxin copularunt, in ſeſe ſuſcipi optet. Qvi in miniſterii Eccleſiaſtici functionibus occupati plurimarum Eccleſiarum longo tempore curam geſſerunt, in eruditionis tamen ſcholaſticæ arcana non ſatis penetrarunt, multorum eqvidem caſuum ſibi acqviſiverunt notitiam, ſed judicium ipſorum non ſemper omnis perfectionis numeros habet, qvippe ex qvotidianâ potius praxi, qvam interiore rerum ſcientiâ informatum. Qvi e contra Eccleſiæ actiones ſuis nunqvam uſurparunt oculis, nudas ex libris controverſias in Academico qvodam otio ſpeculati ſunt, nec illi ſatis ad tantum opus idonei eſſe videntur. Qvare qvibus & ingenii acumine & eruditionis gloriâ & judicii bonitate excellere datum eſt, qviq; tantarum virtutum materiam in ipsâ Eccleſiaſticarum rerum praxi longo uſu exercuerunt, rogandi ſunt, ut manum ſuam tam præclaræ rei admove-

ant,

ant, nec compendia Moralis Theologiæ amplius, sed Systemata, methodo practicis disciplinis propriâ, conscribant, ut ingeniorum suorum vim non in generalem duntaxat sacræ huius prudentiæ partem, sed in ipsos intimos recessus & abditissimas latebras immittant, ne vinci nos in hac tam necessariâ Ecclesiæ nostræ doctrinâ à Romanæ Ecclesiæ cultoribus amplius patiantur.

XX. In hâc ipsâ Rom. Eccles. à Morali Theologiâ Theologiæ tyro Theologicum studium orditur. Meritò id qvidem reprehenditur, cum constet, plerosq; ne qvidē leviter articulorum fidei notitiâ imbutos ad sacerdotium provehi, dummodo qvid agendum ipsis in faciendo sacrificio & audiendâ confessione & impertiendâ absolutione sit, qvicq; casus vel Episcopo vel Pontifici ipsi de canonum jure reserventur, ex casuum Theologiâ acceperit. Verum etiam de cætero Moralium librorum scribendorum apud ipsos neqve finis est, neq; modus. Integram vastamqve Bibliothecam soli Moralium doctores uticq; confecerint. Nec facile semestrales catalogi qvicqvam aliud qvam moralia opera repræsentant. Neqve laudo ipsorum institutum, neq; vitupero; hoc certè asserо, nefas & pudendum esse, illos copiâ laborare, nos paupertate. Non qvidem adeò rerum sum incuriosus, ut me fugiat, & in nostrâ hodie Ecclesiâ practicorum librorum qvotidianum proventum in insanam qvandam molem excrescere; sed mihi sermo nunc non est de homileticis voluminibus, precatoriisq; libellis, qvi apti nati sunt, qvibuscunqve & undecunq; adsumptis argumentis rem nobis propositam persvadere, aut affectus, conqvisitis omnibus eloqventiæ flosculis commovere, aut excitare mentem ad piam Christiani pectoris devotionem; sed de solidâ & acroamaticâ u-

niversæ de moribus doctrinæ, ab universalissimis ejusdem principiis ad infimas usq; partium omnium species deductæ, pertractatione, cui Theologus perinde, ut Systemati Theologiæ Positivo-Polemicæ, scientificâ, ut Philosophi loqvuntur, seu apodictica methodo exhibitæ, tuto possit inniti, qvaq; ante oculos versante ceu Pharon qvendam habeat Theologiæ studiosus, in omnibus officii, tum Christiani tum Ecclesiastici, partibus, in qvibuscunqve ei obvenientibus dubiis seu casibus, qvasi in tenebris qvibusdam, lucentem. Ad eum modum, qvo in Theologiâ Dogmaticâ & bellatrice ad Systema Locorum Gerhardianorum aut Dannhauerianorum recurrere, & controversiarum qvarumlibet, non per aridas & exuccas qvæstiunculas, sed naturali ordine, rerum momentorumqve connexionem luculenter monstrante, tractatarum vel decisionem vel illustrationem petere inde potest. Hujus nos Theologiæ Moralis, qvæ tamen alterum qvasi universæ Theologiæ tantum constituit, laborare defectu, nemine citra dubium contradicente, ajo, neqve eadem vulgò Theologiæ studiosos, qvi tamen sine eâ non tam Theologiæ, qvam alterius tantum Theologiæ partis, id est, si ita loqvi fas est, Semi-Theologiæ studiosi dicendi fuerant, prout par erat, imbui non sine ratione conqveror.

XXI. In Dordracenæ Synodi Actis, Sessione octavâ & decimâ, consilium exhibetur, à Theologis qvidem Calvinianarum partium Zeelandis, sed insigni judicio conscriptum, qvo pacto Theologiæ studiosi à teneris qvasi ungviculis ad functionis usq; Ecclesiasticæ decus debeant educi. In Academiis eosdem non per unum tantum alterumq; annum, sed per integrum minimum sexennium versari volunt. Tum jubent & exteras visitare Academias,

mias, ut & alio sub sole calentium Theologorum sibi comparare notitiam & orthodoxiæ pariter atqve vitæ, honestè probeq; actæ, inde testimonium qveant auferre. Porrò reduces freqventes præcipiunt adesse Pastoribus, Presbyteriis, Synodis, ut ad Ministerii actiones, non tamen qvasq; nisi prævio cum in theoriâ tum in praxi examine, obeundas, utpote ad orationum sacrarum exercitium, ad Catecheticam juventutis informationem, ad ægrorum visitationem, ad comprehensionem morum rituumqve Ecclesiæ, aliaqꝫ id genus, usu paulatim adsvescant. Qvibus subjiciunt: *ad qvam rem optandum esset, ut in Collegiis & Academiis adolescentum animi Theologiâ Practicâ imbuerentur & de variis conscientiarum casibus instruerentur.* Memini, ejusdem in nostrâ Academiâ consilii, in *Piis Desideriis* expressi, (d.) Suffragante Theologicæ Facultatis Collegio, auctorem esse ortum doctissimo Theologo Theologum, *D. Jo. Qvistorpium.* Rectè utiq;, piè, optimè. Nisi qvod addere me citra reprehensionem posse puto, non ad Ministerii tantum operas, variorumqve casuum notitiam, sed ad pietatis studium, pietatisqve promovendæ artem, non minus fideli manu Theologiæ studiosos ducendos esse. Qvod eqvidem sine exactâ Theologiæ Moralis traditione æqvè fieri neqvit, ac erudiri in necessariis fidei dogmatibus & controversiis, cum variis Ecclesiæ hostibus nobis intercedentibus, neqveunt, sine justâ accuratâqꝫ Theologiæ Theticæ & Antitheticæ doctrinâ.

XXII. Qvo minus in hoc argumentum tanta à nostris industria, qvanta in confirmandam vindicandamqꝫ dogmatum veritatem, collocata hactenus fuerit, causa est, qvod pro suggestu morum disciplinam copiosè enucleateqve qvotidie tradi contingat. Qvod qvamqvam verum

(d.) P. 117. f. sit,

sit, qvomodo tamen in eâ ipsâ pro suggestu olim docendâ versandum sit, ut salutem & tuam met & auditorum tuorum promoveas, è cathedrâ accuratius & solidius ostendi oportebat. Unde cum in aliis Theologicæ eruditionis partibus vasta ubiq; comspiciantur opera, in hac solâ vix est, unde proficias. Nonnulli, qvo minus ingenii huc nervos conferant, difficultate rei absterrentur. Qvibus qvantisqve præsidiis instructum perfectum Theologiæ Moralis doctorem esse conveniat, Introductione in universum Theologiæ Moralis, cum dogmaticæ, tum pragmaticæ, studium, libello perqvam eleganti & fructuoso, *Gerhardus Theodorus Meierus* planum fecit. Qvæ si in effectum deducantur omnia, totum certè hominem, neqve exiguam humanæ ætatis partem reqvirunt. Itaqve consvetis plurimi adhærere, qvam gravioribus animum defatigare malunt. Alios à propositio abducit vel subsidiorum inopia, cum in plerisqve aliis eruditionis partibus horum copiâ abundemus, vel ingenii infelicioris tarditas, qvâ in intimiora plantandæ qvasi de novo disciplinæ mysteria immergi prohibentur, in primis postqvam recentissimis qvibusdam de origine Moralitatis, de fundamento juris naturalis, de dilatandis Moralis disciplinæ terminis, aliisqve, tanto inter nonnullos impetu, ut ruere velle literarium cœlum videretur, agitatis, dissidiis via ad præclarissimam hanc scientiam intricata magis & ardua reddita est. Qvæ tamen si rectè considerentur, excitare potius decora atq; honestæ gloriæ avida ingenia debebant, ut hanc Theologicæ scientiæ nobilissimam partem omni ratione modoq; excolere & perinde, ut cœteras, ad summum fastigium deducere conniterentur. Qvum illustres eruditionis gloriâ viri, *Hugo Grotius, Joannes Seldenus, Samuel*

muel Pufendorfius,& qvotqvot ad eorum exemplum instaurandæ juris naturalis disciplinæ ingenium suum viresq; impenderunt,hanc nobis scientiã ab horridâ & incultâ scholarum asperitate tam nitidam, tam tersam, tam elegantem, tamq; consumatam dederint; cur Theologi, qvi primi humanioribus literis decus suum asseruimus, nostras disciplinas, qvæ qvo sanctiores sunt, hoc munditiem magis & puritatem amant, neqveamus in eandem vel pulcritudinem deducere vel perfectionem? Præprimis cum omnem de moribus materiam post sanctissimas Scripturas, veteris Ecclesiæ patres, tantâ doctrinæ ubertate,tantâ eloqventiæ dulcedine excultam ad nos transmiserint, ut in DEum, omnium bonorum fontem, mortalium ingratissimi simus,si huic auro inanes paleas posthabeamus. Tandem si non desit doctorum in docendâ hac arte studium, ea tamen persvasio plerosqve eorum, qvi animum Theologiæ adplicuerunt, occupavit, ut nullâ se eruditionis parte minore dispendio qvam hac carere posse opinentur. Qvamobrem hanc scientiam plerumqve præterierunt, qvâ gregem tamen suum probum, pium, à flagitiis & criminibus immunem, sanctum & immaculatum reddere debebant, in iis è contra inutili studio occupati, qvorum aliqvando in Ecclesiis, præcipuè ruralibus, vel exiguus sit usus vel nullus.

XXIII. Hæc cum ita se habeant, monendi excitandiq; sunt, qvi & ingenium à Deo sublimius, & diffusam ex infinitâ lectione doctrinam, & firmatam usu prudentiam nacti sunt, ut hanc tandem seculi pervicaciam vincant, ut hanc Divinæ professionis nostræ partem in cunis qvasi vagientem, qvotidie magis magisq; exornent, instaurent, expoliant, ut in optimo hoc, summamq; apud omnes laudem

dem habente, instituto de Ecclesiâ, de Academiis, de publicâ re literariâ egregiè rectèq; mereantur. Qvod utiqve fiet, si, qvod in qvibusdam compendiis & institutionibus nonnulli jam facere aggressi sunt, justam ante omnia huic habitui, eidemq; convenientem, induant formam; si qvæ de constitutione, deqve principiis hujus sanctæ disciplinæ, de subjecto ejus & fine, præscienda sunt, enarratâ controversiarum, qvæ extremam hanc nostram ætatem mirificè adflixerunt, historiâ & recensitis ad necessariam tyronum hujus artis instructionem, variarum sententiarum, qvibus collisa inter se est superioribus annis Germania nostra, momentis, summâ fide, studio, accuratione excusserint; si institutâ rerum tractandarum divisione, ostensoqve, qvo tractari singula qveant, prompto, facili, perspicuo ordine, virtutes, qvæ & homini & Christiano, & cuiq; in hoc illove statu constituto conveniunt, vitiaq; iisdem opposita, è naturâ suâ definiendo, ab heterogeneis falsisqve, qvin & veri boniqve specie, separando, èq; omni vel virtuti vel vitio accidente circumstantiâ illustrando, ob oculos posuerint; si casus in qvolibet vitæ genere, præcipuè in Ecclesiastici Ministerii administratione, obvios, qvotqvot unqvam turbare animum & dubiam reddere conscientiam possunt, non proletariâ operâ, sed solidâ curâ & judicio, singulis tractationis capitibus adjunxerint, inq; iisdem resolvendis mentem ad perfectam tranqvillitatem reduxerint; si perpetuò vel subjecerint vel insperserint efficacissima ad omne id, qvod pietatis nomen gerit, monita, & gravissimas ab omni eo, qvod Divinæ sanctitati adversum est, dehortationes; si hæc omnia ex indubiâ S. Scripturarum auctoritate, ex doctissimis primorum Ecclesiæ patrum monumentis, ex pientissimorum nostro ævo Theologorum scriptis, ex

claris-

clariſſimorum inter ipſos Paganos ſcriptorum Pythagoræorum imprimis & Stoicorum, ſuffragiis, ex omnis temporis omniumq; gentium hiſtoriâ, ex omni deniq; omnis eruditionis apparatu perfecerint.

XXIV. Qvemadmodum Academia hæc noſtra, ceu in ſecundæ Exegeſeos Schomerianæ Præfatione diximus, S. Literarum indefeſſâ tractatione ad hodiernum usqve diem nulli unqvam conceſſit: ita & in Morali Theologiâ excolendâ ſubinde operam poſuit ſingularem. Nam & jam olim *Samuel Boblius*, de cujus virtutibus infra nobis dicendi occaſio erit, Ethicam Sacram compoſuit, id eſt, *Commentarium ſuper Proverbia Salomonis, qvo non ſolum textus ex genuino fonte, locisqve Parallelis, ritè explicatur, phraſes obſcuræ omnes illuſtrantur, diſpoſitio accurata & infallibilis exhibetur, & qvod inprimis neceſſarium, nexus, qvi in illis non ſecus ac aliis ſcriptis eſt, oſtenditur, ocularique demonſtrationi ſubjicitur: verum etiam Syſtema Salomonis Ethicum, qvod prolixè ſub ſeptem columnis paraboliçè proponit, antiqvo reſtituitur nitori.* Anno MDCXXXX. poſt mortem auctoris editum à *Georgio Witzlebenio*. Magnam & incomparabilem huic operi conficiundo induſtriam adhibuit auctor, exemplo ante ſe omni deſtitutus, planeqve practicâ methodo & ad inſtillandam penitus pietatem compoſitâ, totam ſacrorum morum ſcientiam repræſentavit. Idem inſtitutum, qvamqvam aliâ ratione, qvâ nempe Practicæ diſciplinæ vulgò traduntur, ingreſſus ſuperioribus annis eſt *D. Juſtus Chriſtophorus Schomerus*, hujus nuper Academiæ ſingulare ornamentum, qvi qvasdam qvaſi in nobiliſſimam hanc & ampliſſimam artem proluſiones, excellentis ingenii ſubactiqve judicii guſtum præbentes, tanqvam fidos majoris operis ſponſores, in lucem edidit,

omnem citra dubium diuturni eruditorum desiderii expectationem impleturus, si vita viro ex Divinâ bonitate longior obtigisset. Titulum libro indidit: *Specimen Theologiæ Moralis, qvo vera & naturalia omnis juris atq; honestatis principia breviter eruuntur.* De qvo illustrem nominis meritorumqve famâ virum, & in judicando acrem atqve exactum, *Vitum Ludov. Seckendorfium*, ita judicasse ex veteris amici epistolâ accepi: *se hujus generis simile à nostris Theologis nihil adhuc vidisse, qvod exterorum celeberrimorum qvorumcunqve ἀγχίνοιαν & soliditatem æqvaret, aliorum verò nostræ gentis, qvi plerumq; ingenii nervos scribentes minus intendant, labores plurimum superaret.* Audiamus verò de hoc opusculo & instituti Schomeriani primitiis ipsummet SECKENDORFIUM, ita ad B. virum scribentem.

Ad Literas tuas, Vir Plurimum Reverende & Excellentissime, die 26. Septemb. datas, dudum me decebat respondisse; merebatur id insignis erga me benevolentia tua & illustre donum, qvod literis addideras. Sed tuo, ut satis scio, exemplo cognosces, qvam celeriter fugiant tempora inter qvotidianas occupationes, illas potissimum, qvas legendo aut scribendo impendimus, & qvam ægre patiantur interruptiones, ita ut sæpe contra officium peccemus, & neglectum hunc difficulter corrigamus. Credas tamen precor, non solum gratissimas mihi literas tuas fuisse, sed & librum ipsum magna cum voluptate lectum esse, nec mihi solum, sed & multis, qvibus cum eum communicavi, me doctioribus, qvi uno mecum ore testantur, gratulandum esse patriæ & ecclesiæ nostræ, de eximia eruditione tua, Deumq; rogandum, ut tibi vitam longævam, omniaq; adminicula concedat, qvo dotibus in te divinitus collatis, majore indies cum fructu ad publica commoda & instaurandam, qvæ funditus fere corruit, pietatem uti possis. Mihi sane viso tractatu illo tuo nunc

demum

demum spes firmior oborta est fore, ut quod dudum (male quidem cum quorundam gratia) optavi, disciplina moralis ita tractetur, & juventuti præsertim (quæ nulla alia magis indiget) proponatur, ut decet Christianos; utq; tandem aliquando rejectis glandibus ex Peripato & damnato incrustandarum earum improbo studio solida alimenta ad mentes veras, & quæ Deo placeat, virtute cibandas, ex uberrimo divinarum literarum fundo petantur. Hoc beneficium tibi debituram esse confido ætatem nostram, aut si hæc veterum præjudiciorum vinculo liberari nondum potest, futuram, postquam fucus ille una cum invidia, quæ viventem virtutem premit, evanuerit. Cum tuo illo laboremeus, quem pro comitate tua laudas, comparari non potest. Continuo tamen hunc, prout corpusculi ætate confecti & morbis macerati vires patiuntur. Spes est librum integrum intra sex menses prelo exiturum esse, magna ejus pars excusa jam est, & in officinis custoditur, dum reliquæ absolvantur. Vale, Vir venerande, & quem propediem inchoaturi sumus annum feliciter auspicare, atq; cum multis secuturis ita transige, ut divinæ gratiæ radiis magis magisq; respersus & confirmatus, honorem Dei porro egregiis laboribus curisq; tuis promoveas, & ipse in DEO contentus & lætus vivas. Scripsi in pradio 28. Decembr. 1690.

Exc. Tuæ

Deditissimus omni studio & officio.

V. L. von Seckendorff.

XXV. Vixi & olim conjunctus *D. Michaeli Fœrtschio*, primario post meum inde discessum Aulæ Badâ-Durlacenæ Theologo, nunc verò Academiæ Tubingensis Professori, qvi ex indefessâ S. Literarum & primorum patrum lectione, multo labore, eximiaqve curâ Moralis Theologiæ thesaurum qvotidie colligit & jam illustre argumentum *de Comparatione Finium*, tanqvam apparatum ad

tantum opus, immò præcipuum momentum futurum, maximam partem elaboravit. Nihil potest ab acri hujus viri, à primâ statim juventute his studiis innutriti, ingenio, eruditione, industriâ, nisi maturum, nisi exoctum & præclarum expectari. Qvi si igneam intellectus sui vim in universam morum, qvâ Christianos ornant, œconomiam immiserit, incredibile huic studio decus & singulare emolumentum accedet. Id verò mecum ut bonos omnes, ita cumprimis summæ olim doctrinæ & existimationis virum, inter rara solidæ literaturæ decora numerandum, *Joannem Georgium Kulpisium*, immaturo tristiqve fato rei literariæ ereptum, qvo nemo horum studiorum majestatem rectius intellexit, nemo dignitatem ardentius promovit, qvippe scribendi ejus operis, primum velut auctorem, omnibus viribus optasse minimè ignorat. Ego verò typum operis, ab ipso conficiendi, qvem aliqvando mihi, qvamqvam tumultuariâ tantum operâ scriptum, communicavit, bono publico gratificaturus, inferam huic libello, auctoremq; mihi amicissimum, ne id ægrè ferat, sed facti hujus audaciam cupiditati imputet, rem literariam promovendi, omni, qvo possum, nisu oro rogoq;.

XXVI. *Summopere nitor*, inqvit, *ut qvod de Comparatione Finium apud me destinavi & bonam partem elaboravi, opus luci exponam. Argumentum profectò difficillimum & nemini tractatum; qvod ex hoc qvalicunqve schemate arbitrari potes. Tribus partibus instituti rationem complexus sum. Prima exhibebit in sectione priore, veluti præliminari, argumenti naturam, amplitudinem, necessitatem, item sedem propriam, auctorumq; defectus; ubi de multis, variisqve capitibus instituuntur disqvisitiones, veluti de Baconis Verulamii desiderio, qvod in Tractatu de Augmentis scientiarum expressit, circa materiam*

am de comparatione officiorum, eaq; occasione de Stoicorum hic excellentiâ præ reliquis sectis, utpote qui uni isti operi incubuere, quos Cicero in libro aureo de officiis secutus & Ambrosius noster imitatus est. Committuntur cum Bacone adversarii, reiq; gravitas ac profundum consilium argumentis propriis demonstratur. Tum agitur de sede argumenti, quæ quidem non sit quærenda in disciplinis Philosophicis, ut hodie illæ proponuntur, nec in Theologiâ Morali, quæ in generalibus locorum moralium capitibus hæret ac unicè Sacræ Scripturæ, ut principio, nititur: ad prudentiam tamen Christianam spectare ostenditur, cujus major cura & exactius studium apud Academias esset necessarium. Illustrium virorum exponuntur consilia circa supplenda & corrigenda gentilium Philosophorum decreta, indeque derivatas disciplinas, è sanctiore Christianorum doctrinâ, quo veteris Ecclesiæ doctores ducunt. Sunt illi Boineburgius, Baro, notatus à Bœclero ad Grotium, Freinshemius in diversis dissertationibus, Bœclerus ad Ambrosium, Obrechtus in somnium Scipionis & alii. Disquiro deinceps: cur in præsenti argumento isthoc maximè opus sit consilio? Quam non assequantur profunditatem illius consilii, qui Ethicæ & Politicæ Christianæ nomine compendia edunt, in quibus nempe nihil agunt, quam quod ad catalogum istum virtutum Aristotelicum, sive etiam Theologiæ Moralis, dicta ex Sacrâ Scripturâ & sententias Patrum colligunt; quod sanè simplicissimum est institutum, humiq; repens. Exin ago de Piis Desideriis Speneri, Hartmanni, & ante hos Meisneri, Quistorpii, Dannhaueri, aliorumq;, prout huc spectant. Falsa hypothesis destruitur eorum, qui argumenta practica demonstrationis accuratæ & propriè sic dictæ incapacia esse sine fundamento asseruerunt. Melioris ac purioris Philosophiæ fontes ex Erhardi Weigelij Analysi Euclideâ Aristotelis & Viotti de Demonstratione opere indicantur, exemplumq; Pufendor-

dorfii adducitur, post Grotium eam praxeos moralis partem, quæ est de Justitiâ & Jure, ingeniosissimè excolentis, quod institutum ego præoculis habeo, nisi quod in mei operis molimento è S. Patribus ad vitam Christianam formandam desumendi rationem indico, cum ille ad vitam civilem potissimum, eaq; quæ rationi unicè sunt congrua, respexerit. Altera primæ partis sectio ipsam tractationem continebit. Conspicias ibi, Deo volente, Systema finium, ex interioribus Divinorum decretorum ac providentiæ fundamentis derivatum, id est, ex lege illâ opifice, ut Hierocles vocat, seu æterno rerum ordine, ut scribit Augustinus. Principia enim prima ac propria indagavi, è quibus comparatio finium institui queat. Hic superficiariè Hobbesii de fine Philosophia percensebitur. Ubi deinceps ad finium materiam progredior, quicquid huc pertinet, ex integro naturæ Systemate in summâ repræsento, Ciceronem in nonnullis locis supleo, illustro; Collegia regia at illustria, ad indagandam rerum naturam instituta hinc inde, laudo, commendo, defectus humanæ notitiæ deploro, quid & quantum revelatio Numinis huc addat, indico. In concipiendâ verò ratione universali finium quam sudaverim, dici non potest. Considero Systema finium, ut Totum quoddam Potestativum, partes suas complectens. Summa huc redit: finium natura inquirenda est in convenientiâ cum naturâ hominis, partim ut condita, partim verò ut est post lapsum restituta. Hinc fines naturales, morales & spirituales. Quorum omnium diversa ratio consistit in relatione ad hominem & inter se; fundatâ tum in necessitate; hinc alij fines alijs præponderant necessitatis gradu, tum in ordine; hinc summi, interjecti & imi: tum in efficatiâ; ubi quæritur, an hi aut illi fines intermedij apti sint ad hos illosve producendos? Hic nobilissimum argumentum de Deliberatione super finibus & ijs, quæ ducunt ad finem, tractabitur & ex superioribus principiis conclu-

conclusiones & porismata constituentur. Exemplis res è vitâ civili, rebus Theologicis, aliisq; illustrabitur, fontes decidendi ex patribus ostendentur. Denique ubi ad ipsam finium comparationem progredior, eam instituendam esse judico, primò summorum generum & eorum, quæ sub uno genere sunt contenta, ut naturalium cum naturalibus, moralium cum moralibus, spiritualium cum spiritualibus. Deinde ipsa comparatio fit vel respectu ordinis; ubi quæritur, quis prior ac principalior? ibi respectus ille ad naturam hominis è lapsu restituta longè alia suppeditabit ordinis fundamenta, quam vulgò Politici nostri jactant: vel fit comparatio ratione efficaciæ; ubi, quinam finium efficacior sit ad hoc illudve producendum, disquiritur. vel ratione necessitatis; ubi, quis magis necessarius sit, disputatur; vel ratione legis; ubi de comparatione eorū, quæ honesta sunt ac justa: vel denique ratione sublimioris, hoc est, naturæ hominis gratiosæ, nempe ut per Jesum Christum ad æternam felicitatem destinatæ. Hic fides, charitatis, pacis Ecclesiasticæ & salutis æternæ instituuntur comparationes. Sed & aliorum, quæ ad externum Ecclesiæ regimen spectant, interiores respectus in actu signato, ut loquuntur, pensitabuntur. Altera operis pars continebit Apparatum veteris Ecclesiæ doctorum. Ubi primò generalis admonitio de studijs Patrum huc pertinentibus erit, dein de Philosophiâ Stoicâ & Platonicâ, ipsis amatâ & commendatâ, prolixius disseretur. Deinde specialim ad ipsos doctores progredior, non seculorum ordine, sed interioris disciplinæ contextu. Ab Ambrosio facto initio ad Clementē Alexandrinum, Augustinum, Gregorium Nyssenum, Lactantium, Tertullianū, Salvianum, cæterosq; progredior, eâ ratione, ut opera in primis huc & ad integrum corpus Prudentiæ Christianæ pertinentia indicem, inde singula opera secundum contextum suum, scopum, fundamenta, considero, analysin eorum moralem & Christianam, variasque disquisitiones instituo, gentiles cum

Christianis, recentiores cum veteribus, committo, disputo, modestè tamen, cum eruditis; Lipsio in Ambrosio meo, Heinsio & Thomasio in Clemente meo, cum Politicis in Augustino meo, cum Dn. D. Alberto in Nysseno meo, cum Betuleio in Lactantio meo, cum Rhenano, Rigaltio in Tertulliano meo, cum Syncretistis in Salviano meo, & sic porrò. Hac fini Ambrosii officia, Clementis Pædagogum, Augustini aureum opus de Civitate DEI, Nysseni de professione Christiani, Salviani de gubernatione, cæteraq; vel decies summo cum studio perlegere necessarium fuit: quæ res quantum laborem mihi imposuerit, dici non potest. Benignissimum Numen Divinum patiatur me fructus cernere honestissimi sudoris, qui tenerrimum corpus, jamjam laboribus Ecclesiæ defatigatum ac ferè confectum, propemodum exangue reddidit. Quicquid autem hic præstare potero, id omne Divinæ gratiæ tribuam. Non magna & multa, ea tamen, quæ solido nituntur fundamento, quæsivi & multas noctes planè insomnes egi & adhuc ago. Cæterum eos quoq; Patres, quos professâ operâ non legi, utpote ad institutum meum non adeò pertinentes, evolvi & quid in ijs huc requirendum, indicavi. Tertia deniqve pars usum praxinq; instituti mei declarabit. Qui primum in universum indicabitur ratione Christianismi, ubi damna contemptæ vel non intellectæ hujus Philosophiæ aperientur. Dominus de Seckendorf vom Christen-Staat/ *(quem ego voco de Fine Christiano-Philosophico) commendabitur & in sequentibus illustrabitur. Secundo speciatim ratione singulorum statuum in Ecclesiâ usus argumenti declarabitur, Oeconomici, Politici & Ecclesiastici. Hic de prudentiâ Christianâ, item Ecclesiasticâ, agitur, quomodo comparatio finium, ceu principale caput, ad utramq; spectet, ostenditur; specimina ex Vedelij libello de prudentiâ veteris Ecclesiæ, ex Voëtij Politicâ Ecclesiasticâ, Marci Antonij de Dominis opere de Rep. Ecclesiasticâ, Calixti*

studio

studio concordiæ, juxta normam præsentis Philosophiæ examinantur. Propositum emendandi statum Ecclesiæ ex limitibus hujus argumenti constringitur ac limitatur. De Theologorum consiliis disquiritur: modernorum Pietistarum, ut vocant, institutа & propositа juxta eandem argumenti nostri regulam partim laudantur, partim, modestè & in amore JEsu Christi, reprehenduntur. Subjicitur votum & compellatio Academiarum. Sed & cætera viri, in qvem ab adolescentiâ ornandum provehendumq;, Divinâ ipsius motus ingenii indole, omnem curam laboremqve meum olim congessi, ut qvid ab ipso sperari possit, planius fiat, adjiciam. *Tuo*, inqvit ad me, *hujus qvicqvid est instituti ac propositi mei permitto judicio, qvod veneror & æstimo, demisse rogans, ut me de Tuâ super eo sententiâ facias certiorem & pro Tuâ humanitate ac candore moneas, corrigas, informes. Ingens forte, & supra vires Pastoris existimabis me suscepisse onus. Enimverò nosti, me à primis studiorum Academicorum meorum annis isti Philosophiæ incubuisse, antiquitatemq; amasse & coluisse; idq; optimorum qvorumvis Præceptorum, Tuo primum ac elegantissimi Arnoldi nostri, inde Bœcleri & ejus successoris Obrechti, qvibus Tu me commendasti, item Zentgravii Argentinæ ductu, Jenæ postea in omni antiqvitate versatissimi Sagittarii, ac demum Helmstadii B. Titii ac celeberrimi Conringii, qvibus perillustris Dom. à Reichenbach Tuo rogatu me insinuaverat. Sed & de orthodoxiâ meâ ac nostrorum in Christo Patrum veneratione nihil Tibi hærere dubii poterit, si cogitaveris, me Argentinæ septem annos & amplius ad pedes nostri D. Bebelii, cujus memoria sit in pace, & Dn. D. Seb. Schmidii, doctoris & Patroni mei summi, sedisse, solidiorisqve Theologiæ fundamenta posuisse. Qvibus deinceps superstruxi, qvicqvid in celebri istâ Salanâ sub B. Musæi & excellentissimi generi, Dn. D. Bayeri, manuductione, ac postea*

Helmſtadii in convictu Dn. D. Titii, b. m. didici; qvorum Theologicorum ſtudiorum meorum ſpecimen apud celeberrimos Theologos Gieſſenſes, Miſlerum, Hannekenium & Rudrauffium exhibui diſputatione, ut vocant, pro gradu, de Analogia fidei conſcriptâ. De modeſtiâ meâ in judicando, qvi me à juventute eo nomine ſingulari amore complexus es, penitus eſto certus. Novi qvoq; me errare potuiſſe, firmiter autem confido, propoſitum meum à doctis & cordatis viris iri adprobatum. Rogandus itaqve non ipſe tantum, qvi fidem ſemel datam nunqvam revocabit, ſed & alii, qvos erudiendæ juventuti Deus præpoſuit, ut ad hanc tam neceſſariæ, tamqve pulcerrimæ doctrinæ Theologicæ partem perfectius excolendam animos manusq; adponant, eôq; de Eccleſiâ noſtrâ & univerſâ re literariâ præclarè optimeq; mereantur.

XXVII. Diximus hactenus, Academici doctoris officium eſſe, ut prælegendo Scripturas auditores ſuos non ad eam tantum Chriſtianæ pietatis partem, qvæ in verâ & ſalutari Dei agnitione, inq; myſteriorum Divinorum conſideratione conſiſtit, ſed ad illam etiam, qvæ virtutum Chriſtianarum, ex notitiâ illâ profluentium, praxin complectitur, deducat; idq; fieri, partim ipſa illa τὰ πρακτικὰ, in Scripturâ contenta, interpretando, partim cætera, qvæ in ſe praxin non habent, ad praxin dirigendo, oſtendendo nimirum viam, qvâ id fieri debeat, partim ſeriis præceptis atq; admonitionibus virtutes inſtillando, partim denique integram Theologiæ moralis doctrinam tradendo, explicando, illuſtrando; denique qvo pacto iſta omnia citra vanam ſuperſtitionem diſpenſare velit Academicus doctor, cum univerſa uno tempore agere neq; poſſit, neq; debeat, ipſius prudentiæ, ad rerum temporisq; circumſtantias attemperatæ, debere relinqvi. Nunc adjiciendum

dum est, eundem & vitæ sanctitate atq; innocentiâ Theologiæ cultoribus ita prælucere debere, ut non sensum tantum aperire sacrarum Literarum, sed proposito à se sensui adhibere fidem ab iisdem præsumi ipse possit, crediq;. Id nisi sit, nec exemplo suo Academiæ doctor comprobet, qvod ex Scripturâ docet, virtute carebit & effectu, qvantumlibet sollicita & subtilis, informatio. Ut exempli in docente vigor doctrinæ qvasi vitam reddit spiritumqve; *homines enim*, dicente Senecâ, *amplius oculis qvam auribus credunt*: & præclarè planè *Lactantius* noster: *qvi se perpetuæ disciplinæ tradunt, nullam q; virtutem capessunt & omnem suam vitam nihil aliud qvã in eloqvendo peragunt, qvid aliud qvam inertes putari debent? Sapientia autem nisi in aliqvo actu fuerit, qvo vim suam exerceat, inanis & falsa est. Rectè q; Tullius cives viros, qvi Remp. gubernent, qvi urbes aut novas constituant, aut constitutas æqvitate tueantur, qvi salutem libertatem q; civium vel bonis legibus, vel salubribus consiliis, vel iudiciis gravibus conservent, Philosophiæ doctoribus præfert. Bonos enim oportet facere potius, qvam inclusos in angulis facienda præcipere, qvæ ne ipsi qvidem faciunt, qvi loqvuntur; & qvoniam se à veris actibus removerunt, apparet, eos exercendæ linguæ causâ, advocandi gratiâ artem ipsam Philosophiæ reperisse. Qvi autem docent tantum, nec faciunt, ipsi præceptis suis detrahunt pondus. Qvis enim obtemperet, cum ipsi præceptores doceant non obtemperare? Bonum est autem, recta & honesta præcipere, sed nisi & facias, mendacium est; & incongruens atq; ineptum est, non in pectore, sed in labiis habere bonitatem*: (e) ita vitæ in doctore impuritas institutionem qvasi exanimem reddit & vitâ pariter spoliat atqve efficaciâ. Qvomodo enim docere poterit, abnegandam esse impietatem & mun-

(e.) Lib. III, Div. Inst. c. XVI. p. 285.

mundanas illecebras & ê contrario prudenter, juſtè atqve piè vivendum in hoc ſeculo, expectandumq; cum timore & tremore magni judicis & Servatoris noſtri adventum, qvi pietatem ipſe ſusqve deqve habet, nec de eâ ſeriò unqvam ſuſtinet vel ſermocinari? Qvi pravis concupiſcentiis, utpote corrogandi argenti libidini & explendæ fœdæ carnis voluptati ita indulget, ut habitare in his vitiis totus, non diverſari tantum videatur? Qvomodo excitare è cathedrâ auditores poterit, ne amore capiantur hujus mundi, ne ineſcentur carnis & oculorum cupiditatibus, ne conformentur huic ſeculo, qvi mundanus ipſe totus eſt & ne qvidem veſtium habitu ab hujus ſeculi hominibus vel tantillum cupit diſcerni? Qvi iracundiæ deditus eſt & furori, qvomodo docere poterit manſvetudinem? Qvi Veneri, qvomodo caſtitatem? Qvi rixis, jurgiisqve, qvomodo & charitatem & pacem? Qvi ſordibus & ignaviæ, qvomodo munditiem & alacritatem? Rectè Auguſtinus: *plus valet vivendi, qvam loqvendi modus.* (f.) Benè Hilarius: *optimum eſt, exemplo potius docere qvam dicto.* (g.) Optimè denuo Lactantius: *Homines malunt exempla qvam verba, qvia loqvi facile eſt, præſtare difficile. Utinamqve tam multi benè facerent, qvam multi loqvuntur benè! Sed qvi præcipiunt, nec faciunt, abeſt ab iis fides.* (h.)

XXIIX. Cum inter ſe comparantur rerum Divinarum notitia & inſtituta ſecundum illam animi pietas, difficile eſt pronunciare, cui implantandæ majorem impenſioremqve operam locare Academicus doctor debeat? In qvorundam ore nihil freqventius eſt qvam dicere: malle ſe pios Eccleſiæ miniſtros, qvam doctos. Qvod multi Eccle-

(f.) Epiſt. CXII. in præl. p. 525. (g.) Can. V. in Matth. p. 556.
(h.) Lib. IV. de ver. ſap. c. XXIII. p. 425.

Ecclesiarum patroni avidè arripientes, ubi dispiciendum ipsis de Ecclesiarum pastoribus est, sollicitè investigant & exqvirunt homines simplices, rerumq; omnium imperitos; hos enim pios esse interpretantur, paciqve deditos. Cum è contra doctiores fastu turgeant, inflati sint, rebus semper novis dediti, nemini cedere sveti, omnibus molesti. Nempe hi nimium doctos atq; eruditos eos esse asseverant, qvi rerum sacrarum & mysteriorum scientiam paulò solidiorem à suis reqvirunt, qvi catechisando & informando & explorando misellam juventutem, ut illi qvidem loqvuntur, nimium defatigant, qvi doctores ex rusticis vel civibus facere volunt, qvi ideò eosdem à laboribus, à ministeriis, qvibus heris suis obnoxii sunt, avocant & abstrahunt, qvi qvæcunq; contra pietatem, contra conscientiam, contra bonos probosq; mores peccantur, è vestigio reprehendunt, ad vivum omnia resecant, qvi & patronum ipsum, vel dissolutius viventem, vel ærariũ Ecclesiæ exhaurientem, vel reditus Pastoris contrahentem, è verbo Divino castigant, vel pro delicti ratione aut ad summum Episcopum deferunt, aut à sacris arcent. Hos illi doctos qvidem, sed inqvietos, turbulentos, superbos, rixosos, cœlum terræ ob qvamcunq; causam miscentes appellant, qvos cavere, ne gregi præficiantur, omni modo oporteat. Illos verò pro piis habent, qvamqvam non ita doctis, qvi dum ex Postillatoriis libris homilias suas fidelissimè pronunciant, qvid dicant, sæpe ipsi non intelligunt, qvi, ut juventus Catecheseos verba promptè recitet, per ludorum magistros adlaborant, quo pacto verò recitatorum sensum assequantur, parum pensi habent, nec qvicqvam temporis ei rei impendunt, qvi ad peccata qvælibet connivent, metuentes, ne auditorum suorum odium, si os aperiant, incurrant

currant & euntibus ad se atq; ad culinam suam munuscu-lis viam præcludant, qviq; adeò profundam cum omnibus pacem colunt, sicq; protervorum etiam conculcentur pe-dibus, vix gemitum, patientiam ante cœteras virtutes o-mnes sibi commendatam habentes, emittunt. Id genus pios qvi præferendos esse doctis censent, vehementer citra dubium errant. Qvod si comparatio inter eos instituatur, qvi cum ex utraqve parte sufficienti sint ad eam functio-nem, ad qvam vocati sunt, rerum sacrarum scientiâ instru-cti, ex unâ tamen plus pietatis & minus eruditionis, ex al-terâ plus eruditionis & minus habent pietatis, tum in dubi-um eqvidem est, illum præoptari, hunc postponi debere; sed provideri tamen summâ sollicitudine debet, ne vel sci-entia ad officium sufficiens æstimetur, cum qvis paulò su-pra vulgum sapit, solidæ eruditionis, qvâ cœlestem verita-tem & proponere aptè possit & defendere, ignarus; vel pi-etas, qvæ pietatis habet speciem, non substantiam. Ut enim, si extrema tantum Divinæ scientiæ elementa hauserit mi-nisterii candidatus, neq; vindicare ab insultibus veritatem, ubi necessitas id jusserit, neqve informare in dubiis con-scientiæ scrupulis, si qvem suorum hi torserint, nec innu-mera alia, qvæ in officio qvotidie obveniunt, rectè & legi-timè poterit expedire; (qvippe scientia animæ oculus est; qvicqvid sine hac feceris, cœcum est, veroqve lumine caret) ita si pietatem simplici tantum morum probitate metiaris, & ignores, ex qvâ Divinorum mysteriorum no-titiâ illa profluere & qvo Spiritu imprægnari debeat, ut DEO grata sit, pietatis simulacrum habes, qvale & genti-libus qvondam concessum fuit, non corpus verum soli-dumqve. Qvinimò si pietate Spirituqve totus ardeas, si

te

te hominum consortio, qvasi ex profano mundo discedens, subtrahas, si carnituæ & moribus seculi & corporis voluptatibus penitus renuncies, si humilitate & singularitate non tam in monachum, qvam in DEum qvendam convertaris, qvid his tantis operibus, si desit conformata ad Divini Verbi regulam scientia, qvâ illa, ceu animâ qvâdam, regantur, effeceris, nisi idolum Fanaticum, ex tuo met cerebro, qvod DEO abominatio est, fabrefactum? In his cunctis neq; Turcarum Dervisii, neq; Romanorum Anachoretæ, neq; Enthusiastarum Qvackeri vel tantillum tibi cedunt, qvorum tamen sanctitatem, tanqvam verâ Spiritus scientiâ destitutam, execramur potius, qvam commendamus. Nec se in complurimis sanctitatis ista larva ita occultare potest, qvin sese turgido fastu, proximi odio, bonorum contemptu, sui met amore, ridendam detestandamqve infucatis pietatis amantibus subinde prostituat. Separatistas hoc hominum genus non immeritò recentiores dixere, cui infelix est, qvisqvis malo fato involvitur. Tanti nempe refert, solidam rerum scientiam antecedere praxin. Ut autem pietas sine notitiâ cœca est, ita notitia sine pietate inanis. Et qvi scientiam suam ad eos fines, qvibus eandem Divina sapientia destinavit, non dirigit, non in vanitatem tantum, sed tumidos etiam spiritus abripitur, ut qvo plura intellectu suo comprehendit, qvo subtilius de iisdem disserit, eò altius eminere se aliis, eò ad Christianismi fastigium propius perveniisse se putet, cum vix jecerit fundamenta. Qvod Apostolus brevi sententiâ enunciavit: *scientia inflat.* I. Cor. IIX. 1. Qvâ re nihil pestilentius est. Qvocirca scientia ut sit

fructuosa, non vera tantum & pura, ab omni erroris maculâ immunis, uni Scripturæ, tanqvam immoto fundamento innixa, neqve ab eâ vel latum ungvem recedens, sed & *charitate, qvæ ædificat*, gravida esse debet. Ut qvicqvid cognoscit, id faciat, & qvo plura cognoscit, eò plura faciat, & qvo modo cognoscit, eo & faciat. Vera enim perpetuò manet antiqvi patris regula: *tantum diligitur, qvantum cognoscitur.* Ubi notitia debilis est, qvomodo non & praxis deficiat? Cum ignoti sit nulla cupido. Ubi notitia in omnes rei bonæ circumstantias intimè diffusa est, ut in infinitos qvasi bonitatis numeros penetret, qvomodo non impensius & flagrantius amet? Cum qvælibet boni particula, ab intellectu cognita, voluntatem ad amorem ipsâ bonitate suâ incendat. Ergo cognitæ bonitatis innumeræ particulæ ad ampliſſimum ferventiſſimumq; amorem inflammant. Scientia, è verbo DEI, Spiritu per id operante, hausta condimentum est, qvo amoris ergo DEUM & proximum praxis ab actione qvacunqve morum naturali secernitur & verè spiritualis, Deoqve grata redditur. Ut solo sacro igne incendere sacrificia, Deo accepta, offerentes debebant: ita sola Sacri Spiritus, ex Verbi lectione & notitiâ hausti, flamma consecrari opera nostra & DEO grata reddi debent. Sine hoc lumine qvantumcunqve amaveris, qvicqvid exercueris virtutum, qvicqvid feceris boni, inane boni spectrum est, vana superstitio est. Qvo nomine, qvicqvid pietatis & sanctitatis Fanaticæ est, qvantumcunqve imperitorum oculis blandiatur, qvamcunqve illa Angelicæ innocentiæ speciem præferat, habendum esse, extra controversiam apud Christi-

Christianos positum est. Qvæ omnia convincunt, pietatem qvidem eruditioni præferendam esse, si cum verâ nec simulatâ pietate eruditio, qvantum ad sacrum, cui destinatus es, officium sufficit, sit conjuncta, repudiandamqve præ tali pietate eam eruditionem esse, qvæ licet major sit, qvàm ad officium istud reqviritur, pietatem tamen comitem non habet: utrobiqve verò cavendum sedulò esse, ne aut eruditionem æstimes ex qvalicunqve scientiâ; cum sine solidiore scientiâ pius qvidem esse possis non tamen statim Ecclesiæ ministeri: aut pietatem vel ex morali qvacunqve honestate, vel ex sanctitate exteriore, Fanaticis propriâ, qvascunqve cerebri sui aut privati Spiritus imagines potius qvam typum, in Divino verbo præscriptum, exprimente.

XXIX. Ostendi hactenus solidis, ut spero, argumentis, Academici doctoris officio involvi, ut per Scripturarum tractationem Theologiæ cultoribus & rerum sacrarum notitiam & sinceram animi pietatem æq; implantet atqve adeò iisdem viam modumq; præeat, qvo pacto & ipsi olim, qvando Divino nutu Ecclesiæ ministerio admovebuntur, suis qvoq; auditoribus in utroq; salutarem operam præstare possint. Ut igitur, qvi in Academiis docent, hujus sui muneris, à Deo conscientiæ ipsorum impositi, partes, qvilibet pro modulo suo, privatim publicèqve, vel legendo, vel disputando, vel scribendo, vel excitando, sibi semper in memoriam revocabit: ita qvi studiorum gratiâ in Academiis versantur, sui qvoq; officii esse perpetuò meminisse debent, ut Biblicis lectionibus summâ cum voluntate auscultent & notitiæ illius, pietatisq;, qvam ex

iisdem haurient, divitias avidissimis pectoribus, in futuros Ecclesiæ usus excipiant. Qvibus deest occasio, ex ore interpretantis proficiendi, consilium doctoris reqvirat, qvi non poterit non eundem cupidissimè instruere & monstrare viam, qvâ Biblia privato studio legendo tractandoqve ad eos, qvos in institutâ hactenus dissertatione exposui, fines grassari possit. Atqve hæc agat animo, Dei verbiqve sui cultorem decenti, id est, verè pio, probo, devoto. Sine qvo maledictus est, qvemcunqve susceperit, labor. Qvi verò sacro ministerio jam sunt inserti, meminerint, doctores Academicos per scripta sua, ceu inæstimabilem SCHOMERUM nostrum per Exegeses suas, cum ipsis loqvi & Sacrarum Scripturarum arcana referando, ad Theologiam verè practicam, qvæ non intellectum tantum Divinâ sapientiâ, sed voluntatem etiam immaculatâ sanctitate imbuat, eosdem deducere. Æqvum itaq; esse, ut doctores suos audiant, ut verbi Divini Divinos sensus comprehendere discant, ut solidam rerum revelatarum notitiam, in qvâ vita æterna consistit, sibi comparent, ut denicq, qvod intelligunt, faciant & adeo exempli sui innocentiâ æqvè ac sanæ doctrinæ propositione cœtum suum ædificent.

XXX. Dum itaq; hunc ipsum in finem ultimam hanc Exegeseon Schomerianarum partem Tecum communico, Lector Bibliorum amantissime, paræneſin hanc meam ut æqvo animo feras & plura id genus in Scripturam meletemata posthac à me expectes, jubeo. Scr. Rostochii d. 3. Augusti Anno MDCCI.

JOANNES FECHT, D.

PRÆLOQVIUM.

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

EPistola ad Hebræos qvia inscriptione caret, multi & autorem & auctoritatem in dubium vocarunt. Nam eam pro Epistola Pauli agnoscere nec sec. IV. voluit Ecclesia Romana, teste Eusebio, lib. 3. c. 3. & Hieronymus in Catal. illustrium scriptorum; neqve inter canonicas eam recipi à Latinis, docet idem Hieronymus, in cap. VI. & VIII. Esa. Tertullianus, qvi sub finem secundi & initium tertii seculi vixit lib. de Pudicit. c. 20. eam, ut Barnabæ Epistolam citat, Græcos tamen illam semper agnovisse, veterumq; auctoritate, qvi ejus ut canonicæ Ecclesiasticæ testimoniis utuntur, se jam recipere testatur iterum Hieron. Epist. ad Barnab. Sicut & alii scriptores Latini eodem seculo & Concilium Laodicæum can. 59. (qvi canones inter canones Ecclesiæ universæ recepti sunt) eam agnoscunt. Ex nostratibus etiam plures, ut Lutherus, Lucas & Andreas Osiandri, Ægidius Hunnius, Menzerus &c. eam Pauli esse negant. Alii tamen, præcipue recentiores Theologi, omnes agnoscunt. Interim qvod Spiritu Apostolico scripta sit, ipse stylus evincit & argumenti sublimitas. Certe antiqvam satis esse patet inde, qvod Clemens Romanus, Pauli qvondam Socius & adjutor, in Epistola ad Corinth. scripta, multas inde sententias deprompserit, ut observat Euseb. Lib. 3. Hist. cap. 38. Et scriptum esse ante excidium Hierosolymitanum, stantibus etiamnum sacris templi, ex argumento Epistolæ colligere licet. Qvod vero Pauli sit, non uno indicio colligitur. Primum enim auctor ejus Timotheum sibi habuit familiarem & lubenter comitem, Cap. XIII. v. 23. Deinde in vinculis se qvondam detentum esse meminit, cap. X. 34. Qvi uterqve character optime in Paulum qvadrat. Porro & formulæ & Phrases Paulinæ hac in Epistola observantur; ut comparatio rudimentorum fidei cum lacte, ejusq; oppositio facta à cibo, Hebr. V. 12. seq. qvæ extat etiam 1. Cor. III. 2. Metaphora de cursu certaminis, Hebr. XII. 1. qvæ extat etiam I. Cor. IX. 24. f. De periphrasi variarum doctrinarum Heb. XIII. 9. qvæ extat etiam Eph. IV. 14. item sententiæ de fide effœtæ Saræ, Heb. XI. 2. seq. qvæ ead. legitur Rom. IV. 18. seq. provocatio ad conscientiam bonam, Heb. XIII. 18. qvalis extat II. Cor. I. 12. & Act. XXIV. 16. de subjectione omnium Christo expectanda, Heb. X. 38. Rom. I. 17. Gal. III. v. 11. qvæ Pauli

hanc Epistolam esse plus qvam probabile reddunt. Accedit deniqve, qvod non alius eo tempore tantæ auctoritatis apud Ebræos esse potuerit, ut de tanto argumento ad illos scriberet cum fructu, nisi Apostolus qvidam, neqve in alium Apostolum id magis conveniat qvam in Paulum, qvi de cessante legis ceremonialis obligatione sæpius in Epistolis suis monet. Scriptam esse hanc Epistolam in occidente, sive in occidentali qvadam Imperii Rom. parte, ex versu ejus penultimo, ubi salutantur Hebræi, nomine τῶν ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, s. ab Italia advenarum, præcisè verò Romæ scriptam esse, qvo ex Italiâ multi convenire solent, non dixerim. Sed videtur potius in vicina qvadam Italiæ regione scripta esse, cum Auctor adventum Timothei ex vinculis (procul dubio Romanis) liberati expectet. Si vero Pauli est hæc Epistola, uti argumentis idoneis probavimus, scriptam esse oportet post nupera ejus vincula, c. X. 34. i. e. carcerem, qvo Romæ detentus erat, qvorum freqvens mentio in Epistolis ad Phil. I. 7. Col. IV. 18. II. Tim. II. 9. ad Philem. v. 9. seq. occurrit; ante novum tamen iter ejus in orientem, qvod versu 23. cap. ult. ad Hebræos promittit, i. e. oportet eam scriptam esse post omnem historiâ Actorũ & post Epistolas modo nominatas, qvippe qvas scripsit, dum in carcere erat.

Epistola scripta est ad Ebræos & qvidem multa adversa passos, juxta c. X. 32 seq. & c. XII. 3. seq. & illos qvidem non unius loci, qvia nulli certo loco inscripta est, sed per plures regiones atq; urbes, ut videtur, dispersos. Hebræi Act. VI. 1. distinguntur ab Hellenistis, qvorum Hellenistarum, Hierosolymis minorem numerum fuisse oportet & seqviorem aliqvantulum conditionem, qvia facile se sperni opinabantur. Utriq; tamen Judæi, qvia c. IX. demum ad Samaritanos Evangelium emanasse legimus, & c. X. oraculo Divino opus fuit Petro, ut intelligeret vocationem gentiũ.

Hebræi itaq; dicti sunt à Patria lingva, ipsis vernacula, & in synagogis usitata & sic etiam Hellenistæ à lingva Græca, illis vernacula, qvi in Asia minore, Ægypto, Græcia, aliisqve locis nati erant & ab iis in synagogis usitata, qvi vocantur Διασπορὰ τῶν ἑλλήνων, ap. Joh. c. VII. 35 ex qvibus advenæ Hierosolymis synagogas habebant. Distinguuntur alias etiam à Judæis Hellenistæ, Act. XI. 19. seq sed alio sensu. Nam ibi intelliguntur ipsi gentiles, uti etiam in qvibusdam veteribus codicibus legitur: ἕλληνας. Ad illos igitur Judæos, qvi Hierosolymis & in Syria nati erant & lingva Hebræa utebantur, scripta est Epistola, sed illos, ut apparet,

sed bus

sedibus suis expulsos, seditione Judæorum infidelium. Inde etiam fuerunt, qvi crederent, Epistolam hanc originaliter esse Hebraice scriptam, qvia convenit ad Hebræos Hebraice loqvi. Sed præter eam, qvam putant, convenientiam nullis aliis argumentis hæc opinio nititur, cum nemo testetur, se textum Hebræum vidisse. Interim patet ex ipso stylo satis, qvod græcè scripta sit, imprimis qvia voces Hebræas c. VII. 2. interpretatur & ex voce Græca Διαθήκη, ad Hebr. cap. IX. 17 argumentum profert, qvale ex hebræa voce: ברית, non poterat. Et probabile omnino est, Hebræos, qvos etiam Hierosolymæ & in Syria inde à temporibus Græci imperii Græce sciviſſe, tum aliunde constat, tum ex Act. XXII. 2. colligitur, dispersos inde in alias regiones Græca sacra assumsisse, eo qvod in omni historiâ Ecclesiastica, per totum orientem omnes fere Ecclesiæ videantur Græcæ fuisse, præter paucas Syras, Hebrææ nullæ inveniantur. Et inde puto etiam enatum esse, ut in Talmude Babylonico prohibitum sit aliter qvàm Hebraice textum sanctum in scholis legere, ut in odium Christianorum à suo more destiterint Helleniſtæ infideles. Qvæ causa esse videtur, qvod ad Hebræos Græce scripserit Apostolus.

Causa & occasio scriptionis videtur illa fuisse, qvod Judæi fideles, qvi Hierosolymis & in Judæa erant atqve Syria, à fratribus infidelibus excitato passim tumultu fuerint ejecti & fortunis spoliati, ita ut opprobriis in se jactis cedentes, alio se cor tulerint. Tum enim Paulus nactus est occasionem confirmandæ fidei illorum, cum confirmatione ob ejusmodi adversa maxime viderentur indigere, & ad illos scribendi qvibus alias non multum prædicaverat ac de legum ceremonialium inefficacia & abrogatione differendi, qvarum alias Zelotypi fuerunt & qvarum amore Paulus aliqvamdiu apud ipsos male audiverat, ut patet ex Act. XXI. 20. seq. & Gal. II. 12.

Argumentum igitur Epistolæ illud est, qvod qvo præstantior est Christus N. T. Auctor atqve mediator omnibus illis, per qvos V. T. promulgatum erat, tanto etiam constantius atqve diligentius ipsi oporteat adhærere. Qvod Enthymema hoc ordine proponit, (1) ut doceat, Christum esse præstantiorem omnibus Angelis. C. I. toto. Deinde ut hinc concludat, qvod attentius oporteat ad T. N. attendere qvàm ad V. C. II. 1. qvia ipse Dominus J. Christus prædicati sui Evangelii auctor est apud homines exinanitus, v. 9. & nobis similis factus, v. 11. Porro hortetur denuo

ad illum attendere tanqvàm ad Pontificem noſtrum, c. III. 1. majorem Moſe, v. 3. de qvo adeo dictum ſit, qvod legitur Pſ. XCI 8. ceu probat à v. 7. hujus usq; ad c. IV. 13. incluſivè. Et ut ad illum cum fiducia accedamus, hortatur ibid. v. 14. Nam & offerre eum pronobis ut Pontificem docet, cap. V. v. 1. idqve ex inſtituto Dei ſacerdotio Melchiſedeciano, ibid. v. 5. usqve ad 10. Ubi digreſſione inſtituta ſe de hoc ſacerdotio plura acturum eſſe dicit, ſed árduo argumento & Hebræis magnam partem etiamnum rudibus, difficili, ibid. v. 11. dicturum tamen cap. VI. 1. qvia ſine illo recte cognito impoſſibile eſt Apoſtatas etiam & ab informatione diſcedentes reducere ad pœnitentiam, v. 4. Qvalem tamen Apoſtaſian de Hebræis non præſumit, v. 9. ſed robur potius ſpei & fidei conceptæ, v. 11. Hinc regreſſus ad argumentum ſuum, qvale illud ſit ſacerdotium Melchiſedecianum & qvàm omni Levitico ſacerdotio ſuperius, docet c. VIII. toto, qvod & in cœlum ipſum penetraverit, qvo non penetraverit ſacerdotium Leviticum, Chriſtus pro nobis ſatisfaciens, C. IIX. toto & c. IX. usqve ad v. 24. & oblatione qvidem unica rem omnem perficiente, c. IX. 25. & c. X. usq; ad 18. Hinc ſeqvitur incitatio fidei c. X. 19. ſubjecta etiam cogitatione pœnæ, qvam promeruerat apoſtaſia, ibid. v. 20. & excitatio fiduciæ in adverſis, à v. 32. hujus c. X. usqve ad c. XII. 11. incluſ. & mutatio ſtudii pietatis, c. XII. 12. ac conſtantiæ in doctrina ſemel imbibita, c. XIII. 7. qvam ſeqvitur epilogus cum voto, ibid. v. 20.

CAP. I. v. 1.

Deus locutus eſt hominibus & ante & poſt-diluvianis per Prophetas, ultimo ablegavit filium; Ubi obſervandum eſt, qvod non de ſermone Dei ad prophetas, ſed de ſermone ad populum loqvatur Apoſtolus, neq; id qværat, qvis Prophetis ſed qvis populo locutus ſit. Ita etiam Lex Moſaica populo data eſt per Moſen prophetam. Atqve nunc beatiora veniſſe ſecula docet, qvibus ipſe DEI Filius in terris obambulans homines docuit & eos qvidem Iſraëlitas, ad qvos ſcribebat.

Ad eund.

Ultimi dies in Scripturis S. nominantur dies Meſſiæ, qvia poliriæ Judaicæ ultimæ ſunt, & eo ſenſu etiam videtur ultima hora

hora dici ap. Joh. I. ep. c. II. 18. nempe qva imminebat proximum excidium Hierosolymitanum. Cujus ultimæ horæ prava interpretatio fecit, ut vetustissimi Ecclesiæ patres diem extremum proxime instare crediderint.

v. 2. Duo sunt unde hic Filii excellentiam laudat, (1.) id qvod factus est. (2.) Id qvod jam antea extitit. Factus esse dicitur κληρονόμος omnium, i. e. ex Hebraismo Dominus & possessor omnium rerum, s. totius orbis monarcha jure perpetuo. Nam id significat illa vox apud Hellenistas, ut distinguatur à Domino temporario, ad certos annos dato. Dein qvod omnium rerum conditor & patris imago sit &c. & patet ex partic: καὶ, qvod aliqvid majus dicere voluerit qvàm jam dixerat, & sic non de constitutione seculorum, qvæ per doctrinam facta sit, qvàm jam v. 1. docuerat, neq; de ea, qvæ ab exaltatione filii pendet, qvæ præcedenti hujus versus cõmati jam inclusa erat, sed qvod de prima mundi creatione loqvatur;

v. 3. Tria hoc versu complectitur Apostolus ad excellentiam Filii docendam, (1.) essentiam divinam, (2) facta exinanitionis & (3.) exaltationem. Essentiam describit, qvod sit resplendescentia gloriæ divinæ, i. e. gloria Divina, in alia à Patre persona resplendens; sicut radius est resplendescentia corporis solaris; & qvod sit character peculiaris substantiæ divinæ, i. e. persona qvædam Divina, *ferens omnia virtute verbi sui.* Qvodqve sit omnipotens, verbo potentiæ Divinæ omnia sustentans. Facta exinanitionis sunt peccatorum expiatio, qvam per se ipsum, i. e. in suo corpore fecit; exaltatio, qvod consederit ad dextram magnificentiæ Divinæ sive in gremium Patris, etiam secundum humanam naturam, receptus imperio suo exerceat magnificentiam Patris.

v. 4. Non tantum per prophetas, sed etiam per angelorum ministerium DEUS populo indicavit voluntatem suam olim, qvemadmodum legem Mosaicam qvondam inter Angelorum

choros promulgatam esse dicit, c. II. 2. Eoq; nomine comparat sanctionem V. atq; N. Tti qvod illa intervenientibus Angelis, hæc interveniente Filio facta sit; Ideoqve Filii nunc etiam super Angelos eminentiam docet, & Filii qvidem, ut exaltati secundũ humanam naturã, secundum qvam interris obãbulavit. Docet autem præstantiam ejus & super Angelos eminentiam, (1.) â nomine Filii & generatione Divina, v. 5. (2.) ab adoratione ejus, Angelis imperata, v. 6. (3.) â Deitate & æternitate, v. 8. (4.) à creatione mundi & ejus destructione, ibid. (5.) à sessione ad dextram DEI, subjectioneq; hominum, v. 13.

v. 5. Testimonia hæc desumta sunt ex Ps. II. loqvente de exaltatione regia Filii Dei; & II. Sam. VII. loqvente de æternitate regni Salomonei per eum, qvi inde descensurus erat, Filium, cujus Salomo typus fuit. Qvem typum eod. jure de Christo explicat, qvo typum Melchisedeci, v. 7.

v. 6. Testimonium illud desumtũ est ex Ps. XCVII. v. 7. ubi denuo Christus exaltatus introducitur qvi confundat omnia idola gentium, jubeatq; omnes Spiritus, qvi pro Diis vel adorabantur, vel adorari poterant, divinumqve qvendam splendorem præ se ferebant, hunc venerari regem. Ubi illud Hebræum nomen: אלהים, per angelos verterunt LXX. unde hæc citatio desumta est, sensum magis qvam verba secuti.

v. 7. Citatio desumta est ex Ps. CIV. 4. historiã creationis referente, adeoq; Angelos creatos esse dicit, & in ea re illos opponit æternitati Filii Dei. Ut & ratione ministerii dominium.

v. 8. 9. Citatio est ex Ps. XLV. 7. qvi intonat canticum de Rege. ὁ θεὸς in v. 8. manifeste vocativus est, at in v. 9. videtur nominativus repetitus ob accentus Hebræos. *Virga rectitudinis* est virga regni tui, i. e. regnum tuum est regnum justitiæ, & propterea ut tale regnum administrares, unxit Te Deus Spiritu S. exc ellentissimo qvodam modo, qvi non competit aliis vel Prophetis vel sociis tuis, in te credentibus.

v. 10, 11, 12. Hæc citatio ex Pſ. CII. non exaltationem Chriſti ſecundum humanam naturam, ſed æternam & immutabilem Deitatem docet, qvam ſuperiori loco adjungit Apoſtolus, ut de regni Chriſti æternitate & perſonæ eminentia eo melius conſtet.

v. 13. 14. Iterum deſcribitur exaltatio Chriſti ex Pſ. CX. id præſtitura, ut omnes Chriſti hoſtes ſcabellum pedum fiant, i. e. conculcentur ab ipſo & ea in re Chriſtum opponit Angelis, qvi miniſtri tantum ſint, coram DEO ſtantes & ab illo miſſi ad cuſtodiendos fideles, non ad dextram Dei, aut in ipſius thronum evecti; unde patet, qvod Chriſtus etiam ſecundum humanam naturam, ſecundum qvam nobis prædicavit, ſuper omnes Angelos infinita gloria emineat.

CAP. II. v. 1.

Διὰτῦτο, ſc. qvia mediator N. Tti, & auctor prædicationis Evangelicæ inter homines tantus eſt, qvantus eſſe probatur toto cap. I. omnibus Angelis eminentior, propterea etiam attentius adhærere oportet illis verbis, qvæ ipſius miniſterio ſunt ſancita.

v. 2. Sermo per Angelos dictus eſt Lex Moſaica, ut patet ex toto ſcopo Apoſtoli, quo Evangelium cum lege V. T. comparat; conf. c. III. 2. 3. & X. 28. ſeq. Dicitur autem lex pronunciata eſſe δι' Ἀγγέλων, ſicut Act. VII. 53. εἰς διαταγὰς Ἀγγέλων, i. e. interveniente Angelorum miniſterio, clangore tubarum, flammante igne, aliisqve oſtentis de quibus loquitur hæc eadem Epiſtola c. XII. 18. ſeq. qui ſenſus voculæ διὰ cum Gen. ex Rom. III. 27. I. Tim. II. 5. aliiſq; locis patet. Ita Targum ad I. Reg. XIX. v. ſeq. apparitiones venti, commotiones ignis per angelos venti explicat. Lightf. hor. ad Luc. II. 13.

Ad eund.

Πᾶσα παράβασις. Sanctiones enim pœnarum contra tranſgreſſores legibus Moſaicis ſunt adjectæ.

v. 3.

v. 3. πῶς ἡμεῖς. Non privat se ipsum tantum salute, qui evangelium prædicatum respuit, sed & pœnam contemtus in se derivat eo graviorem, quo gravior existit auctor, qui illud prædicavit; conf. I. Joh. V. 10. Nam mendacii illum accusat, quod illi non credit. ad eund.

Τοῦ τῶν ἀκουσάντων. Volunt hinc quidam probare, non esse hanc Pauli epistolam, quia auctor se ab Apostolis, qui Christum audiverunt, distinguit. At nec Paulus audivit Christum, in carne docentem, quippe post ejus exaltationem demum conversus; quamvis enim Evangelium se ab hominibus non habere doceat, Gal. I. 1. illud tamen à Christo non accepit nisi in visione tantum. Et hoc loco de familiari conversatione Christi, qua in diebus carnis suæ usus est, cum hominibus loquitur, qua solam publicationem Evangelii, ab iis revelationibus, quæ quondam per Prophetas factæ sunt, distinguit.

v. 4. Prædicationem Apostolicam, quæ prædicationem Christi excepit, Deus juvit variis miraculis & χαρίσμασι Spiritus Sancti, quibus floruit primitiva Ecclesia.

v. 5. Probat ulterius comparationis institutæ subjectum, quod non ut olim ita nunc Angelorum ministerio interveniente doceantur homines, sed docti sint ab ipso Filio Dei, qvi & ipse qvamvis exinanitus tempore ministerii sui, tamen supra omnes Angelos evectus Ecclesiæ dominetur. Per mundum futurum stylo Hebræis magistris familiari intelligitur tempus qvod currit inde ab adventu Messiæ.

v. 6. Testimonium hoc est ex Ps. IIX. qvod more Hebræis familiari sine certa loci, ubi invenitur, indicatione adducit. Psalmus agit qvidem de excellentia hominis supra alias creaturas, sed ita, ut humano generi honorem habitum esse ingentem dicat in exaltatione Christi. ad eund.

Qvid est homo, ut recorderis ejus, vel ut isti tam ingens præstes beneficium, qvod in Christo accepit, in qvo humana natura

ra paululum infra angelos demissa & qvodammodo defer-
ta à Deitate, sed mox majore gloriâ coronata.

v. 8. Qvamvis subjecta jam sint omnia Christi imperio, qvantum ad dispositionẽ Christi attinet, nondum videmus tamen illum effectum in creaturis, cum plures etiamnum homines & Diaboli imperium ejus agnoscere detrectent, eiq; rebelles sint, quos cum coegerit Divinâ manu, ut id agnoscant & rebellionis pœnas dent, tum verò cum effectu omnia subjecta esse videbimus.

v. 9. Ei qvod nondum videmus, opponit, quod videmus, nempe Jesum exinanitum & per passiones mortis ad thronum gloriæ protectum esse, idque propterea, ut ex gratia Dei, hunc nobis mediatorem concedente, pro omnibus hominibus moreretur & pro omnibus satisfaceret.

v. 10. Is propter quem & ex quo omnia sunt, est Deus, qui multos filios ad gloriam adduxit, i. e. multos regeneravit & adoptavit sibi filios, quos salute æterna donavit, & illum decuit, ut Christum, qui illis filiis Dei auctor salutis extitit, consummaret, i. e. ad gloriam cœlestem eveheret (quæ phrasis & alias frequens est, vid. c. XI. 40. c. XII. 22.) per passiones prævias.

v. 11. Ex uno, nempe stemmate, prognati sunt, & Christus, sanctificator, & nos, qui sanctificati sumus, patet ex hoc & seq. hujus cap. v. quod Christus nihil redemerit, nisi quod assumserit, quodque debuit illorum naturam induere, quorum Redemtor extitit.

v. 12. Probat hoc Ps. XXII. loco, quod Christus nos vocet fratres.

v. 13. Alter locus ex Ps. XIIX. citatur pro fiducia, quæ ex fraternitate Christi humano generi oritur, alter ex Es. IIX.

16. pro cognatione etiam filiali, qua nos Christus honorat, qui Immanuel est & qui infidelibus petra scandali.

v. 14. Docet hic veritatem incarnationis Christi, per quam non minus essentialiter sibi junxit carnem & sanguinem in unitate personæ atque aliis pueris caro & sanguis essentialis est.

Τὸ κράτος ἔχοντα; non quidem Diabolus habet potestatem vitæ & mortis in homines, ut ab ejus arbitrio pendeat illorum condemnatio sed ille introduxit mortem in mundum seducendo hominem, & postquam is â gratia divina relictus est, tanquam viribus valentior hominem detinet, eique imperat.

v. 15. Servus pœnæ est, qui ad pœnam ferendam est damnatus, servus legis vero, qui metu damnationis terretur â lege. Itaque ne homines sub legis condemnatione tremuli & anxii hærerent, liberavit eos sua morte Christus & libertatem peperit fiduciæ melioris, juxt. Gal. IV. 5.

v. 16. Assumpsit, nempe sibi filios â metu mortis liberatos, non angelos malos, qvi peccaverant, sed illos qvi habent Abrahamum fidei patrem, & sic ad ejus spirituale semen pertinent.

v. 17. *Secundum omnia*; & carnis & passionum ratione, ut eo studiosius ageret causam omnium. Τὰ πρὸς τὸν θεὸν, i.e. quod ad ea attinet, quæ ap. Deum facienda sunt, quo magis illorum sortem expertus erat.

CAP II. v. 1.

Apostolum. Vocat ratione officii prophetici, quod Cap. I. v. 1. laudaverat. *Pontificem* ratione officii sacerdotalis, quo peccata populi expiavit, juxta Cap. II. 17. & Pontificem quidem Confessionis nostræ, i. e. quem confitemur fide, & â cujus agnitione atq; professione Christiani vocantur;

v. 2.

v. 2. Πιστος. Hæc dicitur de constitutione officii, quod nempe pater filium constituerit Apostolum & pontificem, juxta Cap. V. 4.

v. 2. & 3. Tanto Christus præstantior dicitur Mose, quantum præstat ædificator domo ædificata ; itaque Moses ad domum pertinet, Christus ad ædificatorem & fuit adeo Moses pars familiæ ejus, qvam sibi erexit Paterfamilias ex servis suis, juxta I. 5. Christus verò ut filius Patris una cum ipso hanc sibi familiam constituit, juxta v. 6. & sic ut herilis filius ipse quoq; hæres familiæ est, major etiam Mose ex servis constituto œconomo, quamvis & ipse, ubi fidelitas ejus laudatur, Nam XVI. 7. supra omnes prophetas collocatur, in visione & somnio tantummodo Deum audientes. Hebræi superlativum exprimunt per adjectam præpositionem : In, atque ita fidelis in tota domo est totius domus seu familiæ fidelissimus.

v. 5. *In testimonium dictorum*, i.e, prout testantur ea, quæ diximus.

v. 6. *Si quidem*. Verba sæpius sumuntur cum effectu, ita ut ille demum dicatur fidelis, qui ad finem usque fidelis est, & sic nos sumus vere domus Dei, nunc quidem si nunc credimus & in gratia positi sumus, & plene & cum pleno effectu, si spem & fiduciam sive fidem nostram retinemus firmam ad usqve finem.

v. 7. Ab hoc versu C. III. ad usque 13. Cap. IV. inclusive agit apostolus de loco Ps. XCV. v. 8. seq. quem ut ostendat necessitatem attendendi ad Evangelium Christi, qvod per tantum Apostolum nobis prædicatum est, recitat versibus hisce 5, 7. 11. inclusive, & applicat ad infidelitatem, nunc â nobis cavendam, v. 12. qvandoquidem & illi, quos in exemplum adducit Psaltes, infidelitate cecide-

runt, v. 16. Inde repetit applicationem excitatione ad præmium appetendum, quod vi contrarii sensus in comminatione Psalmi inest, Cap. IV. 1. quam quietem esse divinam ab omnibus mundi operibus probat commate ultimo, v. 3. seq. & etiamnum imminere nobis, v. 6. seq. & repetit denuo applicationem, v. 11. quia comminationis hujus vis magna est, v. 12. seq; recitat verba Psalmi in illa Orationis catena, ut adhortationem Psaltis eo ipso reddat suam.

v. 8. Exacerbationem intelligit eam, qvæ legitur Num. XIV. post renunciationem exploratorum terræ Canaan factam, de qva eadem agitur etiam I. Cor. X. 5, 10.

v. 9. Tentari & explorari Deus dicitur, quando vel patientia ejus tentatur, vel veritas, & homines sæpius peccant eum in finem, ut experimentum capiant patientiæ divinæ, & aliquod sibi miraculum exposcant, ut veritatem promissionis divinæ experiantur, quo nomine retundit tentationem Satanicam, Matth. IV. 7.

v. 10. γενεᾷ Hebraice דור, significat ætatem hominum seu homines una ætate aliqva viventes, ut dixit Salomon: generatio venit, & generatio decedit, i. e. aliis hominibus morientibus alii succedunt, & sic Nestor qvondam dictus est trium ætatum Vir, qvod cum illorum nepotibus in bellum proficisceretur, cum qvorum avis vixerat, & ita ætas hominum ferme 30. vel 40. annis definitur, qvod interea temporis filii ad eum statum perveniunt, in qvo ante fuerunt patres. Ita Deum tædium cepit ejus generationis, quæ ex Ægypto educta est, cum illos omnes vellet in deserto mori, qui viginti annis fuerant superiores & illorum liberos, ad ætatem nunc parentum provectos, in terram Canaam duxit. ad Eundem.

Error & ignorantia Israelitarum non poterat procedere a revelationis divinæ imperfectione, quippe quam habuerunt

runt tam manifestam & miraculis confirmatam, & à Mose expositam, quam nulla alia ætas inde usq; ad ætatem Christi, sed procedebat necessario à prava voluntate intellectum obfuscante & ut fit ad consensum rapiente.

v. 11. Hebraismus est, ἐι εἰσελεύσονται, pro: μὴ εἰσελεύσονται; jubebantur enim omnes in deserto mori, non adducebantur in terram Canaan.

v. 13. Deceptione peccati. Peccatum nos decipit, quando peccandi vetustas intellectum corrumpit, & sic infidelitatem & porro apostasiam excitat.

v. 14. Idem hic dicitur, quod v. 6. & ὑπόστασις idem est ac fiducia seu vera fides, ut patet ex Cap. XI. v. 1.

v. 15. Ἐν τῷ λέγεσθαι, refertur ad immediate præcedens, quod nempe debeamus fiduciam nostram firmam retinere, attentione ad illam vocem Spiritus S. quia, ut versibus seq. docet, per illam infidelitas & apostasia à fide capitur.

v. 17. Quadraginta annis Deum tentatum esse in deserto ex Psalmo dixerat supra.

v. 19. Δι' ἀπιστίαν, *propter infidelitatem* non potérant intrare, quia cœperunt de fide Dei, de q; bono successu, qui promissus erat, dubitare ob relationem nunciorum de bellicositate populi Cananæi, & inde murmurarunt ac puniti sunt.

CAP. IV. v. 1.

QVia obdurantibus sejuratum est, quod non debeant introire in requiem DEI, nobis id agendum est, ne & ipsi illa privemur.

v. 2. Fides ad omnem promissionem Dei necessaria est, nulla enim promissio rata est, nisi accipiatur.

v. 3. Eo ipso quod Deus denegat infidelibus admissionem ad requiem suam, indicat, quod aliqua requies fideli-

parata sit, & hanc requiem esse reqviē ab omnibus operibus hujus mundi, quotquot inde ab exordio ejus facta sunt, indicat in verbis καὶ τνι & sq. uti patet ex conclusione v. 9. 10.

v. 4. Probat requiem talem significari ex Gen. II. ubi requies DEI dicitur, quia cessatur à creatione mundi, ut intelligatur, nostram requiem aliquando fore communionem cum requie Dei, ut cessantes ab hujus mundi curis unice in Deo, ejusq; fruitione occupemur.

v. 5. Sensum explicat ex parallelismo locorum, utrobiq; enim agitur de requie DEI.

v. 6. 7. *Postquam relinqvitur*, i. e. certum est aliquos intrare in illam requiem, & qui ex Ægypto ducebantur & Evangelium de requie DEI audiverant, in illam non intrarunt ob inobedientiam suam, alium definit diem Deus, dum post tantum tempus, quantum ab oberratione Israelitarum in deserto ad usq; Davidem porrigitur, iterum; per *Davidem ita fatetur hodie*, &c. atq; adeo denuo requiem suam promittit, quod argumento est, per illam requiem non intelligi introductionem in terram Canaan, quæ facta est sub Josua.

v. 8. Per Jesum intelligitur Josua, nam hoc idem nomen est.

v. 9. Igitur restat adhuc reqvies aliqua; nam sabbatismus idem est, quod requies, nomine Hebræo nunc appellata, ut attendat ad Sabbatum Dei, Gen. II. unde hujus requiei naturam derivavit.

v. 11. *In idem exemplū*, nempe in quod ceciderūnt Israelitæ.

v. 12. De verbo Dei comminatorio, quod in adducto loco Ps. inest, de quo hactenus disputaverat, loquitur, & quæ hujus ratio est, omnis alterius verbi divini ratio est, quod magna vi penetret ad animum, & Spiritus S. in nobis opus à naturalibus viribus animi discernat, omniumq; cogitationum nostrarum judex sit.

v. 13.

v. 13. Ità penetrare Verbum Dei ejusq; minas ad animum, ut nihil mente reconditum sit, quod non retectum Deo, qvemadmodum sacerdoti membra & exta in sacrificio jam excoriato, (id enim significat πεζαχηλισμένα) ob oculos habentur, pergit docere Apostolus, ideoq; ut diligenti⁹ caveam⁹ nobis ab omni obduratione cordis, monet.

v. 14. Postquam late explicuit Apostolus locum Ps. xcv. & ex eo docuit, non minus Christi vocem audiendam esse quam quondam vocem Mosis, cui qvi inobedientes erant, prosternebantur in deserto, regreditur ad titulum Pontificis, quem Cap. III. v. 1. Christo dederat. In Apostolatu comparaverat Christũ cum Mose, & aliis Prophetis, imo & cum Angelico Ministerio, nunc vero pontificatum ejus incipit enarrare & inde cum Melchisedeci & Aaronis sacerdotio comparare. *Transeuntem Cœlos.* Qvid his verbis sibi velit, patet ex Cap. IX. 11. & 24. Solebat enim Pontifex Leviticus, postquam coram tabernaculo vel æde sacra sacrificium mactatum erat, intrare in sacra adyta & istic sanguinem sacrificii spargere. Illud autem sanctum tabernaculum, in qvod Christus intulit sanguinem suum pro nobis sacrificatum, cœlum est.

ὁμολογίας. Eadem voce usus erat Cap. III. 1. Nam qvando sacrificium fiebat in templo Leviticum, oportuit manu victimæ imposita confiteri peccata & illi victimæ quasi imponere, ut ea ferat atq; luat in corpore, & ita nos confessione nostra sacrificio Christi peccata nostra imponimus, ore etiam ipsius Christi, tanqvàm sacerdotis confitentis & expiantis pro nobis, & ad hanc confessionem vult ut firmiter adhæreamus.

v. 16. *Ad Thronum gratiæ*; alluditur ad propitiatorium Leviticum, quæ sella qvædam erat, adumbrans Majesta-tẽ DEI, in illa sedentis, ibiq; gratiam facientis populo, cum sanguis victimæ aspergeretur.

CAP. V.

CAP: V. v. 1.

POstqvam adhortatus erat Paulus, ut Christo tanqvam Pontifici, nostriq; curam habenti, adhæreremus, nunc comparatione instituta cum Aarone & Melchisedecho ostendit, illum verum pontificem constitutum esse, & nunc primò qvidem ab officio Pontificis proprio, ad qvod constituitur, deinde v. 4. ab autoritate constituentis.

v. 2. Qvo magis communis est causa sacerdotis & populi, eo majori diligentia populi causam agere præsumitur, & sic omnes Pontifices, qvia norunt, & se ignorantia & errore peccare, fideles esse potuerunt sacrorum operatores, ut pro se & populo pariter offerrent, Christum autem sine peccatis qvidem fuisse, attamen aliis infirmitatibus, perinde ut reliqvi homines, tentatum esse dixerat v. 15. c. IV. Et eatenus similem aliis Pontificibus, ut suammet populi causam, qvantum ad liberationem ex morte & miseria, DEO pariter commendaret, v. 7. hujus cap. docet.

v. 4. 5. Ad veritatem etiam sacerdotii Christi pertinet, qvod sibi ipsi illud officium non arripuerit, sed constitutus ad illud sit à DEO patre cœlesti, & sic non suo, sed illi⁹ judicio.

v. 6. *Sicut in alio*; nempe Ps. 110. Deus ad filium dicit. Qvomodo verò secundum ordinem Melchisedech Christus sacerdos sit, deinceps cap. VII. Apostolus exponit.

v. 7. Retrogrado ordine assumit Apostolus de Christo, qvod de omni alio Pontifice dixerat vers. prioribus hujus cap. nempe ut alii vocati sunt à DEO, ita vocatus est etiam Christus & ut alii in infirmitate deprecantur pro seipsis pariter & pro populo, ita & Christus fecit modo sibi conveniente, non pro peccatis suis, sed pro auferendo terrore mortis. *Dies Carnis.* Vocantur dies illi, qvibus versabatur inter nos carnali, sive carni humanæ naturali conditione, qvæ

qvæ opponitur conditioni ſpirituali & glorioſæ, quam habet ab exaltatione ſecundum humanam naturam. De ſupplicatione Chriſti facta in horto Getzemanæ & in ipſa cruce, legi poteſt Hiſtoria Evangelica, in ſpecie de magno clamore Chriſti, Luc. XXIII. 46.

v. 8. Καίπερ ὢν υἱὸς. Ex hac adverſativa, quamvis eſſet filius, patet, qvod ex naturali conditione ſua non debuerit vel mori vel talia pati, exemptus ab illis omnibus per ipſum jus, filiationis, ſeu perſonalem unionem humanæ naturæ, ejusq; in hypoſtaſin filii aſſumtionem. Quamvis autem eſſet Filius, tamen didicit obedientiam, non quod ignoraret vel inobediens alias fuerit, ſed quod expertus ſit ipſa praxi vim obedientiæ & ſic etiam patientiæ.

v. 9. *Conſummatus*, nempe gloria cœleſti, ut Cap XI. v. 40. & cap XII. 23. Spiritus conſummati dicuntur Spiritus æternæ gloriæ.

v. 10. Digreſſione hac ab hoc verſu 10. usq; ad finem Cap. ſeq. ſexti præoccupat difficultatem eorum, & argumenti ſubtilitatem, quæ in Cap. ſeq. dicturus erat.

v. 12. Διὰ τὸν χρόνον, i. e. quia jam diu ad fidem adducti eſtis, & interea temporis debebatis profeciſſe ad penetriorem omnium fidei Myſteriorum cognitionem.

v. 13. 14. Hinc patet, plerasq; conciones rudiori populo factas parum prodeſſe, quia cum illis agitur quaſi peritis in lectione Biblica & Myſteriis divinis, qui tamen prima Elementa vix ſatis hauſerunt. Igitur id agere presbyter debet, ut ſermonem ſuum ad captum populi accommodet & præcipue in Catechismo aſſiduus ſit.

CAP. VI. v. 1.

Δὸ; non propter tarditatem Hebræorum, quam verſ. præced. 12. & 13. arguerat, ſed propter neceſſitatem

materiæ, qvam v. 11. innuit, & propter perfectos illos pauciores, qvos v. 14. innuit. τῆς ἀρχῆς τὸ χριστοῦ, i. e. historiæ Christi inde ab initio nativitatis, & prædicati sive per Johannem, sive per ipsum, Evangelii, uti dicitur: *initium Evangelii Jesu Christi*, Matth. I, v. 1. & oportet omnino in omni bona Catechisatione, qvæ captum hominum & methodum Spiritus S. seqvitur, præmitti historiam rerum gestarum, anteqvam reflexiones super illa & conclusiones dogmaticas formemus. *Fundamenta jacientes pœnitentiæ.* Ab illo fundamento cœpit Johan. Baptista, ut patet ex Matth. & Luc. III. & Act. XIX. 4. Pœnitentia & fide tota absolvitur hominis conversio, ad illam accedit ex parte Dei, ut regenerationis medium, & adoptionis divinæ, baptismus & gratiæ divinæ ministerialis collatio per impositionem manuum, excitatur autem pœnitentia per doctrinam de resurrectione & de judicio extremo.

v. 2. Baptismos vocat in plurali â multitudine baptisatorum; nam qvi unus est institutione & forma baptismus, multiplex est administratione, qvia baptizatio Pauli non est baptizatio Petri &c. Impositio manuum vix potest alia intelligi qvam ea, qvæ describitur in Sacris, qva communicabantur dona Spiritus S. miraculosa baptisatis, vid. Act. IIX. 17. & qva utebantur Apostoli & Evangelistæ, cum aliqvem sanarent. Vid. cap. IIX. 17. & Marc. XVI. 28.

ad Eundem.

Præter pœnitentiam & fidem hæc qvatuor nominat tanqvam fundamentalia, de qvibus ante omnia erudiendi erant Judæi, qvia baptismo (cujus erga proselytos usus erat Judæis) tingendi erant ipsi Judæi, ut Christo initiarentur, qvem seqvebantur miraculosa dona Spiritus Sancti, ad fidem comprobandam, qvæ alioqvin cessaverant in Israele,

le, inde à tempore Malachiæ; de resurrectione mortuorum & extremo judicio illam ferebant communem opinionem, qvod cum ipso adventu Messiæ conjuncta aut conjungenda sint, ideoq; de his institutione maxime egebant Judæi.

v. 3. De promissione divina loqvitur Apostolus & non respectu sui, qvasi dubitet, an Deus ipsi vires largiatur, sed respectu Hebræorum, cum qvibus loqvitur, qvia incertum erat, annon inter tot rudiores atq; tardiores, qvod innuit v. 11. & seq. Cap. superioris v. 12. plures sint incapaces istius perfectionis, qvod verebatur juxt. v. 1. hujus Cap. qviq; Spiritui S. obicem ponant, ut frustraneus apud eos labor sit & apud qvos adeo DEUS hunc effectum non permittat.

v. 4. Cohæret hic versus cum precedente, ut qvi exponit causam, qvare Deus id possit non permittere, ut ad perfectionem feramur, & simul etiam causam, qvare illa perfectione, qvam propositurus erat, seu plena intellectione sacerdotii Christi opus esset, qvod nempe fundamentum, qvod in illo ponitur, absolute necessarium sit, & sine illo nulla salus haberi possit.

ad Eundem.

Baptismus apud veteres Ecclesiæ Patres dicitur φωτισμὸς sive illuminatio; unde illi hoc verbum de Baptismo etiam intelligunt, ut significet eos, qvi semel baptisati sunt; qvæ explicatio probabilitatem nanciscitur ex seqventib⁹, dum gustatio doni cœlestis & participatio Spiritus S. de impositione manuum, gustatio boni Dei verbi de doctrina resurrectionis mortuorum, virtutes futuri seculi de doctrina judicii æterni explicari possunt, ut ita hi duo versus se referant ad versum secundum. Attamen incertum est,

an tempore Pauli Baptismus jam tunc tale nomen acceperit, & reliqua verba etiam latiora sunt, quam ut ad illa, quæ v. 2. enumerantur, restringi debeant; unde generaliter de omni plena conversione explicari possunt, & ita sunt emphatica, ut de plena conversione accipi debeant, nullatenus de aliquo ejus initio, ut volunt Calviniani.

v. 6. De relapsu tali loquitur, qui παραπεσόντας ita vocatur, i. e. abnegatione fidei Christianæ. Probè notandum est, vocem hanc: *recrucifigentes* nempe post verbum adjici, nec pertinere ad descriptionem subjecti, sed prædicati, i. e. renovare ad pœnitentiam illos, dum crucifigunt filium, i. e. cum crucifixoribus blasphemant iterum, & agnoscere ejus officium & personam nolunt, imo impossibile est. Nam ut Cap. X. 26. dicitur & sequent. si hanc hostiam rejecerimus, nulla alia reliqua est pro peccatis mundi. Qui legem Mosis transgressus erat, in Evangelio gratiam invenit, qui Evangelium rejicit, nullam aliam habet salutis anchoram, ergo quamdiu rejicit, impossibile est, ut ullo medio alio ad pœnitentiam renovetur.

v. 7. 8. Illustrat, quæ dixerat, versibus sequent. hoc simili, qvod qvidem in omnem terram defluat pluvia, sed alia imbibatur alia minus. Qvæq; benedictionem divinam cum pluvia non imbibit, ut bonos fructus ferat, judicii ignis exspectare debet. Ita omnibus qvidē præsto est gratia divina sæpius etiam repetita, ut sæpe repetitur pluvia; at qvæ benedictionem ejus respuit anima, non potest aliam, unde frugifera reddatur, exspectare, sicut nempe terra aliunde qvā ex pluvia fertilitatis vim non accipit, & si illa via nolit cedere gratiæ & vocanti parere, nil restat nisi ignis judicii.

v. 9. Emollitio præcedentium est & captatio benevolentiæ, qvalis & occurrit Rom. XV. 14. qvod non ea causa

sa de judicio apostatarum loqvatur, qvod ipsos tales esse præsumat, qvamvis tardiores rudioresq; qvam oporteat, sed ut ex hac oppositione magis invitentur ad argumentū propositum considerandum, qvod ipsorum tantopere interfit, ut sine illo nulla salus sperari debeat. Ἐχόμενα σωτηρίας, sunt illa, qvæ cum salute indivulse cohærent; ita enim Marc. I. 38. ἐχόμεναι κωμοπόλεις sunt vicus cohærentes sibiq; vicinæ; & XIII. 33. ἡ ἐχομένη ἡμέρα est seqvens immediate dies, atq; ita in Græca versione V. T. Hebræum אחר vertitur ἐχόμενος. αὐτῆς vel αὐτῷ, v. 9. Gen. XXI. 23. Ps. XCIV. 15. Non ergo de causa salutis, sed de fructu & qvæ salutem, qvam in Christo nacti sumus, consequuntur, hæc verba explicanda sunt.

v. 10. Injustus esset Deus, si gratiam & promissionem ejus ulteriorem in Christo Jesu datam auferret sine causa â nobis; non enim hic loqvitur Apostolus de mercede danda Hebræorum bonis operibus, sed de non auferenda salute iis, qvi rectos fructus ejus ediderant. Fructus illi fuerunt beneficia, sanctis Dei seu Christianis præstita, cum in communi persecutione, qvam â Judæis infidelibus patiebantur, alter alteri auxilio & solatio esset.

v. 12, 13. Adversa Hebræorum fata exposcunt patientiam, eamq; docet illos exemplo Abrahami, qvi magnæ illius & præclaræ benedictionis, qvæ legitur Gen. XXXII. 16. neqvaqvam particeps factus est sine prævia magna tentatione, qvam patientissime tulit, cum filium ex jussu divino, immolandum susciperet. Illa enim verba, qvæ hic laudat Apostolus, facta sunt ad Abrahamum, cum hoc specimine obedientiam ejus tentasset Deus, qvem honoravit solenni sacramento: *per me ipsum juravi.*

v. 19. *Jurant per majorem sese homines*; nempe per eum, qvi potest esse vindex veritatis & ipsos, si fallunt, punire.

v. 18. *In duobus*, nempe in veritate DEI & in juramento ipsius, qvorum neutrum retrahi potest. *Fugimus apprehendere*, i. e. qvi tardius & diffidenter accedimus ad spem nobis factam apprehendendam.

v. 19. Sicut anchora, qvæ retinet navem, in interiora maris, seu imum ejus fundum immittitur: ita spes nostra, animam alligans saluti, ingreditur interiora sanctuarii, sive ipsi cœlo infixa hæret. Velum autem vocat, Methaphora desumpta â Templo Hierosolymitano, ubi interius sanctuarium velo distinctum erat ab exteriore, ut simul orationis transitum faciat ab illo diverticulo, qvod â v. 11. Cap. V. cœpit ad explicandam rationem sacerdotii Christi. Nam in interius sanctuarium ingrediebatur Pontifex expiaturus populum, & ita in cœlum ipsum & verum sanctuarium introivit Christus, uti patet ex v. seq. & Cap. IX. 7. 11. & 24.

v. 20. *Secundum ordinem Melchisedech*. i. e. similis Melchisedecho, qvod repetit ex Ps. IX. supra cap. V. 6. citato, & qvomodo in æternitate Melchisedecho similis sit, explicat Cap. VII. 3.

CAP. VII. v. 1.

Qvomodo Christus sit pontifex sacerdotio Melchisedechiano, docet primò ex descriptione ejus cum tribu Levi, ut erant sacerdotes Aaronici, inde qvod Abrahamus ipsi decimas solveret tanqvam majori se, v. 4, 5, 6, 7, 8. & ita cum Abrahamo omnes sacerdotes Levitici v. 9. 10. Porro ex promissione novi ordinis sacerdotalis, cum jam esset Leviti

viticus constitutus, qvem adeo insufficientem fuisse dicit, v. 11. 12. 13. 14. Tandem ex æternitate hujus sacerdotii, promissa v. 15. 16. 17. comparata cum abolitione Aaronici sacerdotii, v. 18. 19. denicq; ex juramento addito, v. 20, 21, 22. Ultimo ex unitate sacerdotis, successorem non habentis, v. 23. 24. 25. & perfectione ejus, tum ratione sui, ne pro se ipso offerret, tum ratione oblationis, ne sæpius eam repeteret. v. 26. 27. 28.

v. 2. Ex hoc versu satis patet manifeste, qvod Epistola hæc non scripta sit originaliter Hebraice. Nam vox Melchisedech tam aperte Hebræis denotat regem justitiæ, ut nulla interpretatione opus sit.

v. 3. Melchisedechi in historia Geneseos nulla alia fit mentio, qvam ubi occurrisse Abrahamo, illi benedixisse, & ab illo decimas accepisse narratur, non parentes ejus non familia, non ætas, non mors enarratur ullibi, ideoq; per Mosis historiam sine Patre, sine Matre, sine genealogia, sine vivendi initio vel fine & ita sæpe â defectu historiæ & publica ignorantia aliqvis privative denominatur. v. g. Anonymus scriptor est, non qvi nomen nullum habet, sed cujus nullum nomen notum est. Et in ea re assimilatur Filio Dei Melchisedech, qvi revera sine Patre, qva homo, sine Matre, qva Deus, sine genealogia vel sine prole naturali, adoptiva autem prole tam numerosa, qvæ numerari neqveat, sine initio vivendi, qva deitatem, sine fine vivendi, qva utramq; naturam est, & ipso fructu sacerdotii sacerdos in æternum. Unde videmus, non sine providentia particulari, i. e. non sine intentione peculiaris typi Melchisedechi sic abruptam historiam in Genesi occurrere.

v. 4. Certe honori Melchisedechi id tribuit Abraha-

mus

mus, qvod illi decimas offerret spoliorum, qvæ primâ ab hostibus acceperat, (id enim significant primitiæ) & oportet, ut agnoverit dignitatem ejus majorem sua, non tantum Regiam, sed Sacerdotalem, qvandoqvidem ipse ei occurrit cum benedictione.

v. 5. Ita constitutum est Deut. XXXIV. 28. seqvent. ut Levitis darentur decimæ proventuum ab omnibus Israelitis, qvia non habebant agros sibi assignatos; & Levitarum decimas iterum participarunt sacerdotes; unde patet & pro officii honore decimas dari v. 6. Qvi *familiam non duxit ex iis* scil. Levitis, nempe Melchisedechus.

v. 7. Inde concludit Apostolus, Abrahamum Melchisedecho inferiorem fuisse, qvamvis ampliſſimis jam promissionibus divinis donatum.

v. 8. In hoc typo Melchisedechum Leviticis sacerdotibus facit majorem, qvod illius sola vita, nulla mors commemoretur, horum vero mors & successio manifesta sit.

v. 9. 10. Radicaliter & virtualiter existit Levi pronepos in Abrahamo proavo, non formaliter, ideoq; addit Apostolus emollitionem, ut ita loquar. Interim argumentum certum est, quod illi, cui parens subjicitur, subjiciantur omnes liberi, in qvantum adhuc in parentis potestate, aut virtute sunt, ex illis nascituri. Inde enim oriuntur servi, & cives nati qvod non meliorem conditionem pater filiis dare possit qvam ipse habet. Jtaq; cum sacerdotium Leviticum, ejusq; honor divinitus institutus omnis pendeat â benedictione & promissione, qvam Abrahamus acceperat, non aliunde ipsi affluat, necessario omnem etiam ejus sacerdotii virtutem in se continuit Abrahamus, cum ista determinatione se Melchisedecho subjiceret, & secum omnes posteros Leyitico sacerdotio fruituros.

v. 11. 12. Lex omnis Mosaica, in qvantu m ceremonias sacras ordinaverat, ordinavit illas ut â Levitico sacerdotio pendentes, & illi adjunctas ; unde populum sub hoc sacerdotio legem accepisse Apostolus dicit, & cum translato sacerdotio etiam nobis legibus opus esse.

τελείωσις seu perfectio dicitur expletio sive plena effectio ejus rei, ad qvam, tanqvam finem suum datum erat sacerdotium, nempe expiationis nostræ apud Deum, qvam si Leviticum sacerdotium potuit obtinere, per se nullo alio opus erat, at qvia aliud constitutum est, constat expiationem in typo ab illo sacerdotio factam esse.

v. 13. 14. Christus, quem Deus constituit sacerdotem, non erat ex Tribu Levi, quæ sola sacro Ministerio in V. T. dicata est, ideoq; sacerdotium, ad quod ille vocatus est, non fuit Aaroniticum.

v. 14. Si manifestum hoc est, nullum de genealogia Mariæ dubium exstitit Apostolicis temporibus, quamvis ad Josephum tantum, tanquam putatitium patrem, referatur illa apud Evangelistas.

v. 15. *Manifestius est*, sc. translatum esse sacerdotium, per illum Ps. CX locum.

v. 16. Opponitur carnalis generatio, transferens sacerdotiũ in successores, vitæ æternitati, successorẽ nullũ requirenti.

v. 20. Eo magis translata Lex est & abrogata & translatum ejus sacerdotium, qvod non sine juramento translatum sit.

v. 21. *Illi*, nempe Aaronici, *hic*, Christus ipse, in Ps. CX. indigitatus.

v. 22. κατὰ τοσοῦτον; respicit illud καθ' ὅσον, v. 20. in qvantum non sine juramento, in tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus. Sponsor Testamenti dicitur

& qvod illud hominibus procuraverit & qvod ipse fidem suam interposuerit, ratum illud fore.

v. 24. Ἀπαράβατον sacerdotium est, qvod non transmittitur in posteros sive successores, sed penes Christũ manet.

v. 25. Ab æternitate sacerdotii Christi æternitatem fructus deducit, qvia semper intercedit facti semel sacrificii meritum ad homines in æternum salvandos.

v. 26. Duo narrat Pontificis veri & ad expiationem nostri sufficientis reqvisita, primum ut ipse sine labe & peccato sit, ne ipse pro se satisfacere cogatur, deinde ut altior cœlo, ut sacrificium dignitatem habeat, in cœlum ipsum penetrans, neq; in typico sanctuario subsistat, ut obirritum ejus conatum freqventi ejus repetitione opus sit.

v. 27. Sicut Pontifices, scil. Aaronici. Id nempe reqvirebatur, ut offerret pro populo, non ut offerret pro se.

v. 28. *Sermo juramenti post legem*, i. e. oratio Dei in Ps. CX. 4. facta, diu post latam legem Levitici sacerdotii.

Perfectum, i. e. ad perfectionem officii sui provectum, & inde æternum, in cœlis glorioſum.

CAP. VIII. v. 1.

Penetrationẽ sacerdotii Christi in cœlum considerat nunc distinctius, & illud ministeriũ cœli exponit, v. 1, 2, 3, & qvod præstet ministerio terræ, v. 4, 5, & coñate priore v. 6. idq; propterea, qvod sit melioris testamenti, ibid. commate posteriore, in qvo prius testamentum ablatum est, v. 7. usq; ad finem Capitis. Ubi occurrit ulterius primum descriptio illa V. T. aboliti, â tabernaculi ejus apparatu, Cap. IX. v. 1 2, 3, 4, 5, & ministerio, v. 6, 7. in qvibus Typus sit, v. 8, 9, 10, N. T. veroâ Christo Antitypo, v. 11, 12, ejusq; efficaciori Ministerio sive sacrificio, v. 13, 14, 15, Secundo expositio naturæ testamenti, qvod mortem intervenientem reqvi-

reqvirat, v. 16. Exemplo Veteris, v. 18. unde eadem & in antitypo occurrat, sed eminentior, qva ad cœlum ipsum penetratio fit, v. 23. seqq.

v. 1. Summa eorum, qvibus Christus, tanqvam Pontifex descriptus erat, ê superiore præsertim v. 26. seq. huc redit, qvod talis sit, qvi ad dextram Dei considet in cœlis, qvaliter illum descripserat jam Cap. I, 3. non personæ tantum, sed & officii dignitatem atqve efficaciam ibidem exponens.

v. 2. λειτουργὸς publicus minister est, scil. sacerdos orans, & intercedens pro populo, & publicas administrationes & ceremonias administrans, eoqve sensu hæc vox Christo tribuitur, qvod intercedat pro sanctis Dei, virtute sacrificii sui.

Tabernaculum verum dicitur in oppositione ad typicum Mosis, qvia tota Mosaici tabernaculi structura typus tantum erat & adumbratio Majestatis & lucis cœlestis, in qva Deus habitat. Eodem sensu columna veritatis I. Tim. III. 15. etiam typicæ columnæ Salomoneæ opponitur, qvamvis ad alium istic antitypum applicetur.

v. 3. Probat qvod Christus sit bonorum λειτουργὸς in cœlis, qvia ut Sacerdos sit, necesse est ipsum aliqvid offerre Deo, & sic Christus sacrificium corporis intulit in cœlum, ut vi istius perpetuam expiationem faceret.

v. 4. Si Christus sacerdotio suo non penetrasset in cœlum & ipse umbræ tantum serviisset, & sic ne qvidem esse potuisset sacerdos, qvia ad umbram rerum cœlestium administrandam jam tum constituti erant sacerdotes Aaronici, ex qvibus Christus non erat.

v. 5. Ita scriptum legitur Exod XXV. 40. Unde patet, qvod tabernaculum Mosis tantummodo ὑπόδειγμα aliqvod seu imitatio & umbra fuerit tabernaculi cœlestis, cujus

figuram qvandam & umbram viderat Moſes in monte, â Deo ſibi oſtenſam.

v. 6 Meliores ſunt promiſſiones N. qvam V.T. non ratione ſui, qvia & in V. T. ſervantibus legem vita æterna promiſſa eſt, ſed conſeqvendi eas facilitate, qvia in N. T. effectus nobis obvenit, qvi per V.T. non poterat, & realiter noſtra expiantur peccata, & realiter cœlũ nobis recluditur, qvorum omniũ in V. T. tantum umbra habebatur.

v. 7. ἀμεμπτος ; hac voce utitur Apoſtolus in laxiori ſenſu, non qvod labe, vel vitio aliqvo laboraverit morali, ſed qvod juſtam efficaciam non habuerit, qvæ ad ſalvandos homines erat neceſſaria, nam ſi illud rem potuiſſed expedire, nullo alio opus fuiſſet.

v. 8. *Reprehendens*, teſtamenti nempe inefficaciam ob peccata & transgreſſiones Iſraelitarum. Verba ſunt Dei ap. Jerem. Cap. XXXI. 31. ſeq. qvæ hic recitantur â v. 8. ad 12 incluſive.

Domus Iſrael & domus Juda; qvia gentiles omnes, qvi credunt Evangelio, reputantur, ut inſerti radici ſeu ſtemmati Iſraelis, novi rami, Rom. XI. 17. ſunt, & oves ad ovile Judaicum reductæ, Joh. X. 16. ideo teſtamentum hoc novum, qvamvis ad omnes homines pertinens, dicitur teſtamentũ cũ domo Iſrael & Juda (qvæ erant duo diſtincta Iſraelitarum regna, i. e. omni progenie Abrahami, qvi fuit pater credentium, juxta Rom. IV. 11. eſſe erectum.

v. 9. *In die, qvo ex Ægypto*. Ergo V.T. non dicitur id, qvod cum patriarchis vel cum ipſo Adamo erectum eſt in paradiſo, ſed id qvod cũ poſteritate, Abrahamitica erectum eſt per Moſen in monte Sinai, Gal. IV. 21.

Qvia non manſerunt. Prius qvidem Teſtamentum, qvod per Moſen miniſtrum erectum eſt cum populo, ſua natura,

ra erat legale, & qva tale â nemine poterat expleri, qvia legi impossibile fuit ob carnis imbecillitatem, ut qvenqvam salvaret, Rom. IIX. 3. & XIII. 20. Ceremonialibus tamen legibus duplex respectus inerat, alter legalis, qvo Ceremoniarum expletio reqvirebatur, alter Evangelicus, qvo sacrificium Christi & gratia remissionis peccatorum adumbrabatur, ejusq; in umbra illa habebatur promissio; itaqve cum qvid peccatum esset contra legem, per ipsas legis ceremonias rite obitas quærebatur gratia Evangelica, qvi modus qværendæ gratiæ, etsi onerosus & difficilis, possibilis tamen hominibus erat, qvi sub illa conditione promissiones Evangelicas acceperant & præterea etiam terrenæ felicitatis. Itaqve cum conditiones has non impleverint Jsraelitæ, in eam etiam calamitatem inciderant tempore Jeremiæ, ut omnes in exilium Babylonicum adducerentur. Unde solatur illos propheta novo melioreq; testamento, sub qvo sine tam onerosis conditionibus legalibus gratia divina fruantur.

v. 10. Prius testamentum inscripserat leges divinas tabulis & jussit eas servari, posterius testamentum eas inscribit mentibus, & Spiritu S. nos regit atq; ducit ad illas servandas. Qvamvis enim etiam vi fœderis Patriarchalis sub priore Testamento dabatur Spiritus S. non dabatur tamen ex vigore ejus prioris testamenti Mosaici, sed illud Mosaicum testamentum potius conditione qvadam prævia ab hominibus reqvisita obsepserat viam, ne sine illa præstita, i. e. sine præviis ceremoniis rite obitis Spiritus S. gratia, & vivum solatium hominibus concederetur. N. autem T. sepimentum hoc Ceremonialium legum tollit, & ipsa prædicatione fidei statim Spiritum S. largitur. Hinc Apostolus vocat ministerium Mosis, lite-

ræ ministerium, suum vero Evangelium ministerium Spiritus. II. Cor. III. 5.

v. 11. 12. Lato priore testamento, hominibusq; in illud fœdus receptis, nondum illi probi erant aut conversi ad Deum, sed probitatem tantummodo promittebant, & Deus eam ab illis stipulabatur. Atqvi in N. T. societatem recipiuntur, statim fide pura non conditionata recipiuntur, atq; adeo animis convertuntur ad Deum, itaqve illis qvi erant in Veteri fœdere, actu ipso tamen externa disciplina opus erat, qva deducerentur ad ritus & ceremonias omnes rite addiscendas, & sic ad exeqvendam conditionem, qvi vero de N. T. sunt actu, i. e. in gratiam Evangelicam recepti, spiritum amoris Domini acceperunt, qvo sponte etiam sine institutione aliena ad obseqviũ Deo præstandũ feruntur. Nam norunt Deum sibi jam propitium esse, non demum propitiationem esse qværendam atqve inde amant Deum illiusq; pietati student, qvam ipsa ratio amoris divini docet, qvæq; cum mente sic per fidem illuminata convenit, cum ceremoniæ legis contra multo labore addiscendæ essent.

v. 13. Hæc reflexio seu conclusio formatur ab Apostolo ex voce N. T. qvam recitavit ex Jer. IIX. docetqve, postqvam nunc per N. T. illud prius antiqvatum est, fore ut propediem intereat, nempe destructione templi & cum illo omnium ceremoniarum â Romanis futura.

CAP. IX. v. 1.

Δικαιώματα λατρείας sunt leges ceremoniarum & qvæ secundum illas rite fiunt.

Ἅγιον κοσμικόν est ipsa ædes tabernaculi decore exornati. De ornatu ædis loqvitur Apostolus v. 2, 3, 4, 5, de ceremoniis v. 6, 7.

v. 3. *Sanctum Sanctorum*, i. e. sanctissimum tabernaculi, per Hebraismum sic dictum, qvod erat post posterius velum, cum prius velum obtexerit sanctum exterius, posterius texit sanctum interius, & ab exteriori illud distinxit. Notant Rabbini alias in templo Hierosolymitano, illud adytum interius ab exteriori distinctum fuisse duplici velo, qvia crassus interjacens murus utraqꝫ parte tegendus erat, at in tabernaculo Mosaico unico solo velo distinctam fuisse utramqve ædem probabile est, neqꝫ ad hanc geminationem respicere potuit Apostolus, cum posterius velum nominat.

v. 4. Legitur Exod. XVI. 32, qvod Moses jusserit ex Manna defluente aliqvid asservare coram Domino in memoriam rei gestæ. Phrasis autem: *Coram Domino*, juxta Rabbinos omnes idem significat ac coram arca, vel propitiatorio. Sic etiam Num. XVII. 10. legitur de virga Aaronis, qvæ una nocte efflоruerat & fructus tulerat, unde Apostolus illa hic commemorat tanqvam in arca asservata. At I. Reg. IIX. 9. cum arca ingereretur in templum Salomoneum noviter exstructum, nihil fuisse in illa dicitur præter tabulas legis. Ad qvam apparentem contradictionem solvendam, alii tempus utrumqꝫ distinguere jubent, alii arcam in principalem, & adjacentem, alii relativum: ἐν ᾗ non ad κιβωτὸν sed ad σκηνὴν referunt, qvasi non in arca, sed in tabernaculo interiori hæc fuisse diceret Apostolus. At hæc postrema explicatio repugnat contextui, præsertim v. 5. *supra ipsam*, qvod manifeste de arca dicitur, non de æde. Priores duæ duriores sunt, & nullo testimonio historico innituntur, itaqꝫ simplicius dicimus, præpositionem ἐν non tantum inhærentiam sed & adjacentiam significi-

significare, & qvod solæ tabulæ legis arcæ inclusæ fuerint, urna Mannæ, & Virga Aaronis illi impositæ, qvas removere oportuit, cum arca inferretur in templum Salomonis.

v. 5. *Cherubim gloriæ* dicuntur, qvia gloria Domini sub alis ipsorum supra arcam habitare dicitur, i. e. Deus præsentiam suam ad hunc locum, tanqvam gloriæ suæ symbolum alligavit, sicut in Ezech. I. & X. Prophetæ dicitur gloria Dei apparuisse, qvando ipsi apparuit schema 4. animalium. Qvid vero fuerint *Cherubini* & qva forma sculpti, disputant eruditi, cum plerique angelos per illam vocem denotari existimant. Collatio Cap. I. 10. Ezech. cum Cap. X. 14. videtur arguere, *Bovinam* illis figuram fuisse, qvia una facies animalium istis dicitur bovina fuisse, qvæ hic facies *Cherubi*. Qvæ conjectura posset confirmari ex *vitulis Jerobaamicis*, ad æmulationem templi Hierosolymitani erectis.

v. 7. Leges ingressus pontificalis in sanctissimum seu interius adytum templi in die anniversariæ expiationis vide Levit. XVI. Dicitur autem pro ἀγνοήμασι seu peccatis ignorantiæ expiasse, qvia pro qvovis peccato, cujus sibi qvisque conscius erat, qvotidie fiebant particularia sacrificia, hoc vero solenni die admissa omnia ab omni populo, etiam occulta, nec specialiter agnita, una vice expiabantur.

v. 8. Illa sollicita obtectio interioris adyti & prohibitus liber ingressus denotabat in V. Test. qvod omnis illa expiatio nondũ sufficeret ad homines corã Deo absolvendos, & vera via cœli nondum fuerit publice oculis hominum exposita, sed exponenda demum in morte & sacrificio Christi, adeoque typicam tantum, nondum veram fieri expiatio-

piationem; in morte vero Christi scissum velum est, Matth. XXVII. 51. & sic symbolum factum patefacti nunc aditus ad cœlum.

v. 9. Qvia dona oblata & hostiæ V. T. non sufficiebant ad mentem hominum tranqvillandam, qvasi illis peccata satis essent expiata, nil aliud factum est, qvam ut per illa tanqvam typica rejiceretur plenæ satisfactionis spes ad tempus N. T.

v. 10. Imperabat Lex Ceremonialis tantummodo de cibo & potu, i. e. carne & libis & libaminibus Deo offerendis, ut & de cautionibus circa munda & immunda edulia, & de variis lotionibus corporis atqve vestium, & de justificationibus carnis, id est, de iis Ceremoniis, qvibus caro & externa hominis mundabantur, ut legitime qvis ac sine immundicie posset in cœtu hominum, in templo & ad sacrificia comparere, qvæ leges jacere seu durare debebant usqve ad tempus correctionis, i. e. usqve ad tempus N. T. qvo abrogandæ erant.

v. 11. *Pontifex futurorum bonorum*, i. e. cœlestium nobis conciliator per majus & perfectius tabernaculum introivit in *interiora adyta*, i. e. via plane alia cœlum ingressus est. Tabernaculum hîc sumitur pro via, ad interius sanctum, qvia per sanctam ædem ad sanctissimam ædiculam ibatur. *Non hujus κτίσεως*, i. e. constructionis vel fabricæ, qvæ arte humana fit. Nam κτίζειν de omni ædificatione apud Græcos dicitur.

v. 13. Describitur Num. XIX. methodus, qva vaccæ rufæ combustione cinis fieri & asservari debeat ad aspersionem immundorum, qvam hoc loco innuit Apostolus. Immundi illi phrasi Hebræa dicuntur communes, seu habiti

habiti ut promiscua plebs gentium, qvibus non licebat progredi ad sacra Israelitis propria.

v. 14. Spiritus cum in persona Christi opponitur carni, significat divinitatem seu majestatem divinam, carni communicatam, ex unione personali & unctione Spiritus Sancti; itaqꝫ Christus se dicitur obtulisse Deo per spiritum æternum, i. e. vi æternæ Deitatis, qva gaudebat ex unione personali, qvaqve passio humanæ naturæ vim & dignitatem illam accepit, ut pro mundi peccatis sufficeret.

v. 15. Per mortem Christi & nos accepimus promissionem sive gratiam, in V. T. promissam, nempe gratiam vitæ æternæ & remissionis peccatorum, & illi qvi sub Vet. Test. vixerunt, suorum eo tempore admissorum expiationem acceperunt, qvod utrumqve hic combinat Apostolus, cum primum de illis loqvitur h. l. deinde applicationem facit ad nos. Cap. X. 19 seq.

v. 16. 17. 18 Rationem mortis Christi hic petit Apostolus, non ab Hebræa sed â Græca voce; nam apud Hebræos non nisi ברית occurrit, qvod fœdus significat. Id qvod argumentum evidens est, hanc Epistolam scriptam esse non Hebraice sed Græce â primo autore. Apud Juris Consultos illa regula est, qvod testamentum factum, id est consignatio eorum, qva qvis post mortem de bonis suis statui velit, immutari possit, qvam diu vivit testator, neqve hæredi aut legatario scripto inde jus nasci, anteqvam moriatur testator. Itaqve ut fœdus, qvod DEUS per Mosen qvondam condidit cum Israelitis, & novum, qvod per Christum sanxit, ratum esset etiam apud posteros, voluit non tantum illa fœdera valere, ut pacta inter Deum & homines, sed & ut relictas â Mose & Christo constitutiones, ab iis, qvibus factæ sunt, immutabiles, itaqve in tan-

sanctione primi fœderis voluit sanguinem morientis bestiæ intervenire, & in sanctione posterioris fœderis ipsam Christi mortem. Prius fœdus ut in umbris & typis occupatum erat, qvæ referebantur ad Christum, ita mortem tantummodo typicam in occisa bestia reqvirebat; at posterius fœdus, qvod simpliciter irrevocabile futurum erat, non tantum â parte hominum, sed & â parte Dei veram mortem Christi Testatoris reqvirebat, per qvam confirmaretur, sicut per mortem Testatoris hominis confirmatur & irrevocabile redditur testamentum.

v. 19. 20. Leguntur hæc Exod. XXIV. 8. ubi observatur diversa sanctio utriusqꝫ Testamenti; nam de Veteri dixit Moses: hic vitulinus & hircinus sangvis est sangvis Testamenti vobiscum erecti. At in N. T. sanctione Christus Luc. XXII. 20. dicit: hoc poculum est Novum Testamentum in meo sangvine; sangvis, qvi erat in poculo Mosis, erat utiqve typus & signum sangvinis Christi, ergo id qvod erat in hoc poculo Christi & â poculo Mosaico differt, eo qvod erat sanctio testamenti in ipso Christi sangvine, adeoqꝫ non etiam typus vel signum sangvinis, sed ipse sangvis, peculiari ratione cum exhibito vino unitus & conjunctus.

v. 22. *Sine sanguinis effusione nulla fit remissio*; nempe in omni hostia expiatoria opus erat sangvinis exceptione & aspersione, atqve effusione ad altare, qvo significabatur peccatum non nisi sangvine Christi expiari.

v. 25. Pergit hic Apostolus ad perfectionem sacrificii Christi docendum, ex hac ratione, qvod oblatione ejus semel facta omnem effectum suum nacta sit, ne oporteat illum sæpius sacrificari, vers. hoc 25. seq. Qvod qvare lex non potuerit seu legalia sacrificia, ratio redditur Cap. X, 1.

Qvibus sacrificiis propterea aliud succenturiandum fuerit Cap. eodem v. 5. id nempe, cujus æterna elucet dignitas ex Ps. CX. v. 11. & ex Jer. XXI. 15. usqve ad 18. inclus.

v. 26. Alias nisi unica oblatione sui potuisset rem efficere, oportuisset Christum sæpius pati, non tantum ab eo tempore, qvod constitutum erat ejus incarnationi, sed inde ab origine mundi, docet Apostolus, propterea qvod ejus expiationem etiam pro præteritorum temporum peccatis valere docet. Vid. hujus Cap. v. 15. Neq; enim potuisset expiationem imperfectam differre usqve ad ultima mundi tempora, qvia semper nova succedebant expianda hominum peccata.

CAP. X. v. 1.

Τελειῶσαι; i. e. perfecte absolvere â peccatis, & ad finem, quem volebat, perducere.

v. 2. Habuerunt qvidem V. T. fideles conscientiam, fide in Christum Salvatorem futurum expiatam, at expiatam virtute hostiæ â se oblatæ non habebant, imo se illis revera expiatos non esse animadvertebant & propterea memoriam peccati expiandi per Christum qvotannis renovabant.

v. 5. 6. 7. Verba hæc sunt Ps. XL. 7. seq, qvibus futurus Messias introducitur locutus. At istic in Hebræo non exstat: *Corpus adaptasti mihi*, sed: *aures transfodisti mihi*. Hæc vero citatio Apostoli ex Græca 70 virali versione desumpta est. Transfossio aurium respicit legem divinam, Exod. XXI. 6. & Deut. XXV. 17. qva jubentur Israelitæ omnem ex fratribus Hebræis servum, ob inopiam rei familiaris se forte venundantem, dimittere 7. anno, qvi sabbaticus dicitur; Quod si vero nolit ille servus di-

dimitti, sed perpetuam malit servitutem apud ipsum Dominum servire, tum vero in signum spontaneæ mancipationis aurem ipsi perforaret ad postes ædium. Inde est qvod Messias dicit, sibi aurem perforatam esse ad faciendam voluntatem Dei. Quod nempe cum liber esset & filius DEI, spontaneæ tamen huic servituti se mancipaverit, ut pro hominum peccatis hostia esset. Atqve ita sensu conveniunt Hebraicus & Græcus textus, quia illa aurium perfossio est adaptatio corporis ad servitutem usq; ad mortem duraturam.

v. 8. Explicat hic dictum Ps. Apostolus, quod illa sacrificia non sufficiant Deo vers. 9. Tollit prius, nempe sacrificia legalia, ut ponat posterius, nempe sacrificium suum.

v. 10. *In qua voluntate*, nempe Dei, qvam Christus se expleturum esse promittit; per *oblationem corporis*, nempe quod huic servitio atque sacrificio mancipaverit.

v. 11. *Omnis Sacerdos*, nempe legitimus, *quotidiè*, nempe & mane, & vespere publica sacrificia, & quotquot occurrebant, privata toto die offerens.

v. 13. *Exspectans*. Nam nondum omnia ipsi subjecta sunt, juxta Cap. II. 8. subjicientur vero in fine mundi, juxta I. Cor. XV. 28.

v. 14. *Perfecit*. Penitus expiavit, Deoq; reconciliavit.

v. 16. *Dans & inscribens legem in corda*. Nam N. T. non sicut V. legale tantummodo tabulas legis ante oculos ponit, sed gratiam Dei affert, & cum illa Spiritum S. quo nomine opponuntur, II. Cor. III. 6. seq. Quo Spiritu S. homines ad spontaneum obsequium ducuntur.

v. 18. Per quod testamentum vera & plena peccati remissio obvenit, in illo ad nullam aliam pro peccatis hostiam expectandam remittimur, neque ulla oblationis rei-

teratione opus est, qualem in Missa fingunt Pontificii. Itaque per V. T. quod legale erat & ceremonias imperabat, qua tale, nemo habuit remissionem veram peccatorum, habuerunt tamen illam fideles Vet. T. vi fœderis gratiæ cum Patriarchis erectæ per fidem in Messiam, illis sacrificiis adumbratum.

v. 19. Ex longa illa prærogativæ Christi enarratione, quæ â Cap. II. v. 5. 7, & iterum Cap. III. v. 1. Cap. V. 1. diversis intervallis cœpit enarrari, nunc regreditur ad conclusionem illam inde educendam, quam jam tum Cap. II. 1. Cap. III. 1, 7. usque ad finem Cap. IV. cœperat, repetere dilucidius, i. e. adhortari Hebræos ad fiduciam fidei & studium pietatis impensius.

Introitum sanctorum, i. e. ut possimus accedere ad interiora adyta, seu sanctissima, nempe cœlum ipsum, cujus typus erat sanctissima ædicula in templo Hierosolymitano.

In sanguine Jesu, i. e. cum illo & virtute illius, sicut in V. Test. non licuit Pontifici introire in sanctissimum nisi cum sanguine, cujus præsens allatio ipsi introitus licentiam dabat: ita nobis licentiam introeundi in cœlum dat sanguis Christi expiatorius, quem Christus in illud abstulit & cujus fide nitimur nos.

v. 20. *Dedicavit.* Omnis nova erectio templi, cum primum in illo cultus divinus instituitur, dicitur *dedicatio*, & ita Christus cum novam viam nobis aperuit suo sanguine, illam dedicavit nobis, i. e. in nostrum usum, ut & nos illam possimus ingredi; *facilem*, ad quam nempe nullis nobis ceremoniis opus est. *Et vivam*, ac efficacem, quæ nos virtute quadã sua ducit. Nã illa viva fides est, quæ virtute Spiritꝰ S. in nobis accensa atq; efficax est. Caro Christi com-

comparatur cum velamine, quod magnificentiam interioris ædis obtegebat in templo, ita etiam & caro obtegebat majestatem Christi, cum ille adinstar aliorum hominum conspiceretur & per illam tanquam medium aliquod ingressum nobis paravit in cœlum, dum in illa passus est.

v. 22. *Aspersi â conscientia.* Constructio hæc magis respicit sensum, quam verba, i. e. aspersione purgati â conscientia mala, sicut aspersione sanguinis quondam populus Israeliticus mundabatur in typum.

v. 23. *Aqua pura.* Respicit metaphora lotiones Leviticas, quas si dixerimus referri ad aquam baptismalem, virtute sanguinis Christi in nobis efficacem, nihil improbabile dixerimus.

v. 25. Ἐπισυναγωγὴν, i. e. conventum Ecclesiæ, voce â Judæis retenta, quamvis postea Christiani, ut se â Synagogis Judæorum distinguerent, voce συνάξεως usi sint. Hæc Ecclesiæ collectio non erat deserenda, quia & coadunatæ preces DEO placent & mutua adhortatio & excitatio fidei nullibi etiam majore cum fructu fit.

Ἀλλὰ παρακαλοῦντες, adhortantes nempe ad συναγωγὴν. *Appropinquantem diem*, nempe judicii severi in Judæos, de quo Christus egerat Matth XXIV. & quo exemplum statuebatur majoris illius pœnæ, quam promerue-rant, qui Filium DEI conculcant, de qua legitur v. 29. & cujus diei appropinquationem ex illis signis, quæ Christus dixerat citato loco anteceſſura esse ante excidium Hierosolymitanum, colligere poterat. Conf. hujus Cap. v. 27.

v. 27. Redditur ratio, quare oporteat diligenter attendere ad fidei hujus mutuam excitationem, & timere exemplum vindictæ â Judæis sumendæ, quia nempe, si velimus hujus hostiæ, nempe Christi, virtutem negligere

vel

vel aspernari, ut sæpius quondam hostias Leviticas spreverant Judæi & novis semper reconciliabantur, nullam nobis fore reliquam aliam hostiam, qua reconciliari possimus, sed aut ad hanc salutis viam nobis apertam oportere ingredi, aut etiam perpetuo inde excluſos esse docet. Ideoque non de peccato involuntario & ignorantiæ, sed de voluntario loquitur, quo nempe spernitur hæc hostia, & consulto fides ejus deseritur, quia fidem non excutimus ignorantia & involuntariis peccatis; non loquitur etiam de intercluſo post apostasiam reditu sed de eo, quod apostatam â fide Christi, qua talem, manet.

v. 28. De morte & condemnatione rei ad depositionem duorum vel trium testium legitur Deut. XVII. 6. Cap. XIX. 15. *Communem*, i. e. profanam. Patet hinc, quod de peccato apostasias loquatur, qua Christi meritum tanquam nullum & inutile spernitur. Cujusmodi apostata præter illud medium, quod deserit, alibi nullam spem salutis invenit.

v. 30. *Qui dixit*, nempe Deut. XXXII. 35. καὶ πάλιν, nempe ibidem v. 36.

v. 32. Sequitur nunc adhortatio ad fiduciam in adversis, v. 32. & ad patientiam parvi temporis pro expectanda ope divina, v. 36. & pro fide certa, v. 38. Hujus definitionem subjungit Cap. XI. v. 1. & usum, v. 2. & exempla multa specialia, à v. 2. incluſ. & deinde summatim & generaliter remittit ad plura exempla, v. 32. usque ad finem Capitis. Inde succedit renovatio adhortationis Cap. XII. v. 1. Exemplo Christi, v. 2. Confirmata ab intentione castigantis Dei, v. 4. & illustrata exemplo castigationis paternæ, v. 9. 10. 11.

v. 32. *Priorum dierum*, non veterum sed recentiorum, nem-

nempe qui fluxerunt inde â tempore Christianismi ipsorum. *Illuminati.* Vox hæc apud veteres Ecclesiæ Patres significat baptismum, quæ significatio an Apostolorum tempore etiam obtinuerit, incertum est, malim de illuminatione intellectus & conversione ad fidem interpretari, præsertim cum Paulus v. seq. hunc φωτισμὸν â tolerantia παθημάτων videatur distinguere, ut significet κοινωνίαν cum iis, qui ob religionem adversa passi sunt. Unde videntur ex compassione tali ad illuminationem fidei conversi esse.

v. 32. seq. Referuntur ad se invicem voces: ἄθλησιν & θεατριζόμενοι, quia Græci solebant voluptatis causa homines in theatrum ducere, ut inter se mutuo & cum bestiis de vita certarent. Cujusmodi spectacula sunt, quæ veteris Ecclesiæ Patres ita abominantur, ut sub excommunicationis pœna prohiberent fideles, ne ad ista spectacula irent, innuitq; Apostolus, se quoque periculis vitæ variisq; opprobriis objici, ut adeo oculos quasi in theatro suis infortuniis pascerent, ubi non armis corporalibus sed spiritualibus, fide, patientia, constantia, contra impetum hostilem pugnandum. Inde & apud veteres Ecclesiæ Patres frequentissima est illa Metaphora, ut Martyres vocarent athletas Christi.

v. 33. Explicat exemplo vel declaratione speciali, quæ dixerat vers. præced. ita ut συμπάθεια cum carcere Pauli Romano pertineat ad posterius vers. prioris comma, raptus bonorum ad prius comma. Patet hinc, quod â Judæis infidelibus hi Ebræi bonis spoliati sint per seditionem quandam & forte magna pars etiam sedibus suis ejecta.

v. 36. Tolerantia hæc atque animi fortitudo necessa-

ria esse dicitur, non in quantum actus positivus est boni operis alicujus, â fide distincti, concurrens ad hominem qualificandum ad vitam æternam, sed ut impedit apostasiam, fideique fiducia non perditur; imo nihil aliud est quam ipsa fidei constantia. *Voluntatem Dei perficientes*, i. e. illa, quæ DEUS vult, tolerantes; *promissionem*, i. e. rem promissam seu vitam æternam.

v. 37. Solatur Hebræos in his adversis & fidem confirmat ab adventu Christi ad judicium in Judæos sic procaces, i. e. ad deletionem Hierosolymorum & totius politiæ Judaicæ, ad quam parum temporis restat, quantum cunque etiam sit. De extremo mundi judicio hæc intelligi non posse satis ipse eventus docuit. Quis enim solaretur afflictum ab ejus diei propiore absentia, qui bis mille annis abest?

v. 38. Verba hæc desumpta quidem sunt ex Habac. II. 4. sed non præcise ita sonant in textu Originali, sed ita: *in clivulum subducta seu complicata est anima illi, cui recta non est; qui vero ex fide justus est, vivet*; ideoq; Apostolus non citat hæc verba directo tanquam istic scripta, sed repetit tantummodo eam sententiam, ubi quantum ad rem convenit cum iis, quæ apud Habacucum exstant. Nam qui fiduciam habet, cor & animum dilatatum habet juxta II. Cor. VI. 12. Qui vero timet sibi, contrahit cor & se involvit, uti solent tristes & incurvati quasi alicujus clivuli formam præ se ferre & quatenus sese contrahit, subducit se ab objecto fiduciæ, ne adhæreat illi, cumq; anima ita non recta est, neque Deo placet.

v. 39. *Subductionis*, vel fugæ vel languoris scil. fidei, per Hebraismum dicuntur quibus tales mores sunt, & illi perdunt animam, qui vero fidei filii sunt, acquirunt eam, i. e. fruuntur vita.

CA-

CAP. XI. v. 1.

ὑπόστασις significat firmitatem & fiduciam animi, ut II. Cor. IX. 4. & Ebr. III. 14. ἔλεγχος proprie argumentum est, unde quid concluditur, & sic fundamentum conclusionis vel certum axioma, quo nitimur & quod defendimus. Dicitur autem fides talis animi certitudo esse de rebus non visis, quia in quantum quid in sensus incurrit, non amplius creditur. Nam fides authoritate nititur aliena, non sensus experientia.

v. 2. οἱ πρεσβύτεροι, i. e. veteres, qui ante nos vixerunt, inde laudati sunt, & inde testimonium approbationis divinæ acceperunt.

v. 3. *Non ex apparentibus*, aliud est quam *ex non apparentibus*. Nam his verbis materia ex qua supponitur, quamvis non visibilis, hic vero nulla supponitur, sed dicuntur omnia, quæ videmus, facta esse, ita ut non appareat nobis, id est, ut nesciamus illa aliunde, seu ex aliqua materia facta esse.

v. 4. Ex hoc & sequentibus versibus patet, quod omnes illi, qui in V. T. historia laudem habent justitiæ, & bonorum operum â fide tamen justi fuerint. *Moriens etiam locutus est*; quid locutus sit non exstat in sacris literis, sed crasso puncto Pisha in textu Hebræo Gen. IV. hæc omnis sermonis recitatio abrumpitur.

v. 5. Duo sunt, de qvibus fide oportet nos certos esse si placere Deo & ipsi occurrere velimus. 1. qvod sit seu existat & detur Deus 2. qvod bono erga nos animo sit, adeoq; reconciliatus nobis, qvam reconciliationis fidem habere non possumus, nisi habeamus fidem in meritum Christi.

v. 7. Condemnavit mundum Noach fabrefactione

arcæ, non autoritative, sed declarative, qvia eo ipso, dum sibi de salutis medio prospexit, docuit mundum, i. e. reliqvam turbam omnem hominum interitui destinatam esse; *justitiæ hæres*, i. e. per Hebraismum, perpetuus possessor; (videatur nota ad Cap. I. v. 2.) *justitiæ*, i. e. effectus ejus, qvi â justitia provenit, seu imputationis justitiæ, ut nempe vitam & salutem ex hac communi calamitate aufferret.

v. 8. Respicit historiam primæ migrationis Abrahami, Gen. XII. ubi scriptum est: *abi ex familia paterna in terram, qvam Monstrabo tibi.*

v. 9. *In tabernaculis.* Per hanc vocem docet, qvod Patriarchæ habitaverint in terra Cananea tanqvam in peregrina, qvia ibi non domos exstruxerint, sed qvasi in perpetuo itinere constituti, in tentoriis mobilibus, qvæ ex aulæis fiunt, habitaverint.

v. 10. *Fundamenta habente*; qvod opponitur tentoriis, qvæ sine fundamento infiguntur terræ.

v. 11. Legitur qvidem Gen. XIII. Sara risisse promissionem sibi primitus factam de filio, post annum in lucem edendo, attamen cum observatum illum risum reprehendisset Angelus Dei, seu ipse Jehova, correxit sese, & fidem, qvam antea non habebat, nacta est.

v. 13. *Hi omnes*, nempe Patriarchæ, Abrahamus Jsaac, Jacobus, cum uxoribus & liberis. *Non accipientes promissionem*, i. e. rem promissam, nempe addictionem terræ Cananææ, tanqvam propriam sibi, & inde felicem liberorum statum.

v. 14. *Confessi qvod hospites*; ut Jacobus coram Pharaone qvestus de molestia vitæ suæ.

v. 15. *Recordati ejus, unde exiverant*; nempe ut in Chaldæa, ubi suos habebant cognatos, qvam patriam si desiderassent, redire ad illam potuissent. v. 16.

v. 16. *Propterea non pudet.* Patet hinc, qvale sit argumentum Christi pro resurrectione Matth. XXIII. 83. seq. petitum ab Exod. III. v. 6. *nempe, qvorum in mundo, ipso jussu divino exulum ad usq; mortẽ, se tamen Deus Deum esse profitetur, nec profiteri erubescit, illi post fata in meliore sorte vivunt viventq;.* (qvia alioqvin homines ex divino cultu non nisi damnũ habuissent, neq; Deus potuisset apud posteros qvicqvam proficere, si majoribus non meliore præsidio fuisset, qvorum se tamen speciali ratione Deum profitetur) *Atqvi Abrahami, Isaaci & Jacobi, in mundo exulum ad usq; mortem, Deus se speciali ratione Deum esse profitetur. Ergo illi post mortem in meliore sorte vivunt viventqve.*

v. 17. *Unigenitum*, nempe ex Sara; nam alias & Ismaelem susceperat.

v. 18. 19. Pugnare videbantur hæc: ab Isaaco proventurum esse benedictum semen, ut promiserat Deus, & ipsum tamen in pueritia ipsa mactari debere filium... At superavit difficultatem hanc fides, cum crederet Abrahamus, etiam sic â mortuis resuscitari posse hunc Isaacum, ita ut ne quidem hanc promissionem DEO, sacrificium filii jubenti, objecerit, quantum ex historia Gen. constat.

v. 19. *Unde in Parabola*, i. e. unde quasi ipsum recepit, quia jam in eo erat, ut mactaretur, cum arietem pro illo immolandum monstraret Deus.

v. 20. Benedictio Isaaci, quam filiis impertiit, Gen. XXVII non temere suscepta erat, sed ex promissione divina facultatem receperat, illam â se in posteros transferendi, quam promissionem cum fide amplexus erat, etiam valide transtulit.

v. 21. *Ad verticem Virgæ.* Ita exstat in Græca versione,

ne, Gen. XLVII. vers. ultimo. At in Hebræo textu est punctatio non: מַטֶּה, *Virga*, sed: מִטָּה, *lectus*; & dicitur Jacobus se prostravisse in actu jurisjurandi accepti â Josepho, quod potuit factum esse, & ad caput lecti, & ad caput baculi vel virgæ Josephi, quo forte erecto juravit Josephus, ideoque non significat hic adorationem politicam, neque religiosam vel lecti vel baculi, sed Dei, cui juratum est, ideoque Apostolus versionem Græcam retinet pro more Helleniſtarum, (manifesto iterum argumento, quod non sit scripta Epistola Hebraice) quia differentia Hebræi & Græci textus h. l. ad rem seu scopum Apostoli non facit, qui ille est, quod & benedictio filiorum Josephi ex fide promissionis divinæ, â patre ad se derivatæ, fieret, ad eandem prophetico spiritu devolvendam in posteros, & quod eadem fide veneratus sit Deum, cum juramentum acciperet â Josepho de ossibus suis eâ in terra sepeliendis, quam occupaturi erant ejus posteri.

v. 23. Fides Parentum laudatur in occultato Mose, qvod nempe præsens periculum, qvod illis inde imminebat, qvodq; ipsi puero, qvi ulterius occultari non poterat, fide superarint, nempe credebant fore, ut Deus prospiceret puero, ne in manus cruentas lictorum incideret, aut si etiam inde ipsi sibi periculum attraherent, fore ut hæc pietas ipsis in cœlis compensetur. In his & reliqvis omnibus exemplis ostenditur, qvod certa fuerit de promissionibus divinis, de gratia ejus, & cœlesti hæreditate fides Patriarchis, quam certam fidem in merito Christi fundatam esse aliunde constat. Nam ad scopum Apostoli non pertinet h. l. causam reconciliationis & justificationis nostræ docere, sed vim tantummodo fidei & fiduciæ certæ in adversis.

v. 26. *Opprobrium Christi*, id est, opprobrium ob expectatio-

ctationem Christi, populo Judaico factam. Hinc patet, omnem aliam fiduciam Patriarcharum se in hac promissione fundasse, quod nempe omnes promissiones reliquæ non nisi corollaria quædam fuerint, ex promissione Christi fluentia.

v. 29. *Mare Rubrum.* Eruditi quidem existimant dictum esse ab Edomo seu Esauo Rufo, ut verti posset mare Idumæum, quia Idumæi illi mari adjacebant.

v, 33. 34. Ad quas historias liberorum Samuelis & Reg. & Dan. respiciat Apostolus, facile patet illi, qui scripturas legerit.

v. 35. *Receperunt mulieres ex resurrectione mortuos suos.* Respicit filium Sareptanæ, I. Reg. XVII. 22 & Sunamitanæ, II. Reg. IV. 35. quorum ille ab Elia, hic ab Elisa resuscitatus est. ἐτυμπανίσθησαν; respicit historiam Maccabeorum, cujus illustre specimen legitur lib. II. Cap. 7. τυμπανον, quantum ex veterum descriptionibus intelligi potest, instrumentum ligneum fuit, ad instar rotæ incurvatum, ad quod affixi homines infelices excoriabantur & verberibus admodum excipiebantur.

v. 36. 37. 38. Et hæc pertinent ad persecutionem Antiochi & historiam Maccabæam. Quamvis enim libri illi non sunt Canonici, sunt tamen historici, & res ita gestæ sunt, ut narrantur.

v. 39. Μαρτυρηθέντες, testimonium fidei nacti reale ab ipsa morte, quam passi sunt, inde Martyres dicti, sive testes fidei, qui quam ejus certi essent, constantiam in his adversis & feralibus doloribus probarunt. *Non acceperunt promissionem*, i. e. rem promissam, nempe Messiam mundi, qui finis erat omnis promissionis Judaicæ, id est, non viderunt Christum, quem exspectarunt,

v. 40. *Nobis melius quidem*, nempe ut noſtra ætate Chriſtus veniret in mundum; *ne ſine nobis perficerentur*, i.e. ne ſine noſtro conſortio, ſeu antequam nos accederemus, complementum promiſſionis haberent in Chriſto.

CAPUT. XII. v. 1.

Concluſio hæc ex præcedentibus exemplis infertur ad renovandam adhortationem patientiæ & fiduciæ in adverſis, qvam cœperat Cap. X. 32. & vocat illa exempla teſtimoniũ, qvia ſancti illi viri ſuis exemplis teſtati ſunt, quid vera fides poſſit, qvanta ejus certitudo & qvanta vis ſit ad ſuperandas adverſitates. Unde omnes, qvi vim talem ſuſtinuerunt propter fidem, in Eccleſia Martyres veritatis dicti ſunt, & qvia fortitudine animi opus eſt ad illa patienter ferenda, certamen vocat. Et ita â veteribus Eccleſiæ patribus vocata eſt omnis ejusmodi paſſio, cum qva luctatur, qvamqve luctando ſuperat fides, & ſicut qvi certant in circo, opus erat, ut veſtes & qvicqvid circumſtabat impedimenti, deponerent: ita etiam jubet nos omnem cupiditatem & illecebras mundi, qvibus tentamur, tanqvam circumſtans fidei impedimentum deponere & ſpretis iis voluptatibus circumſtantibus, unice ad fidem nobis propoſitam reſpicere.

v. 2. Fidei *autorem* vocat Jeſum, qvi fidem in nobis excitavit officio ſacerdotali peracto, ſive merito ſuo, eumqve *Conſummatorem*, qvi nos iſtuc deducet, ubi fidei noſtræ effectu fruemur.

v. 3. *Contradictionem*, non verbalem tantum ſed & realem, i.e. injuriam & opprobrium ſui. *Ne laboretis animis diſſoluti*, i.e. ne in his laboribus animum deſpondeatis.

v. 4. *Non ad ſanguinem usqve*, qvemadmodum Martyres

res Maccabæi, qvos in exemplum propoſuerat Cap. XI. 35. Nam raptum tantum bonorum ſuſtinuerant hactenus, ut patet ex Cap. X. 34.

v. 5. *Et jam obliti eſtis conſolationis, qvæ vobis ut filiis, dicitur*, nempe Prov. III. 11.

v. 8. *Spurii eſtis*, i. e. ſuppoſiti, nec à Patre cœleſti agniti filii. Qvi enim profeſſione qvidem Chriſtianus eſt, revera tamen non regeneratus divinitus ad inſtar pueri eſt is in familia qvidem degit, ſed â Patre familias non agnoscitur, ſed inſtar nothi, qvi ex adulterio ſusceptus eſt, de cujus educatione ſollicitus non eſt pater, ei neq; freqventes virgas exhibet.

v. 9. *Pater carnis*, i. e. carnalis generationis, ſeu naturalis.

Patri ſpirituum, i. e. ſpirituali, qvi regeneratione ſua Spiritum S. dedit, qviqve novis gratiæ viribus animos inſtruxit. Spiritus enim, qvi carni opponitur, in homine novæ â Spiritu S. vires ſunt.

v. 10. *Ad paucos dies*, pueritiæ nempe. τὸ δοκοῦν, ſeu qvod viſum eſt ipſis, opponitur hic τῷ συμφέροντι, ſeu revera utili, qvia qvid conducat pueris incertum judicium eſt naturalis patris, certum vero judicium patris Cœleſtis, qvid conducat nobis.

v. 11. *Fructum pacificum juſtitiæ*, i. e. ut in gratia patris ſimus, illaq; fruamur, tanqvã juſti, i. e. patri (placentes) obſeqventes.

v. 12. Siqvitur nunc commendatio ſtudii pietatis generalis, v. 11. Exemplo Eſaui contrario propoſito, v. 15. & comparatione ſtatus legalis & Evangelici illuſtrata, v. 18. 22. ſuppeditante argumentum â minore ad majus, v. 25. & confirmata ex Haggæo, v. 26. usq; ad finem capitis. Commendatio ejusdem ſtudii pietatis ſpecialis incipit cap. XIII. 1. erga hoſpites, v. 2. ergo captivos, v. 3. erga conjuges, v. 4. & dehortatio avaritiæ.

v. 13. Τὸ χωλὸν sive *claudum* per Græcismum dicitur pro claudicatione, & Metaphora hic utitur Apostolus sibi familiari à cursu stadiorum. Qvi enim ad palmam aliis præripiendam contendebant, in pudorem dabantur & irridebantur à spectatoribus, si claudicarent. Fervor autem ipse animi effecit, ut laxata alias membra restituerentur & claudicatio cessaret. Ita Apostolus vult, ut imbecillitates humanas fervore sanctitatis superemus.

v. 14. Sanctificatio non tantum positionis sed & remotionis vox est, & significat immunitatem ab omni labe & inqvinatione. Eo enim sensu dicebantur in V. T. Sacerdotes & populus sanctificari, si caverent sibi ab omni impuritate & subtraherent sese iis commerciis, unde labem poterant attrahere. Ita cum dicitur, sine sanctitate neminem visurum esse Deum, idem dicitur qvod Apoc. XXI. 8. qvod immundi non ingrediantur in cœlestem civitatem, sed in stagnum ignis. Et sensus Apostoli est, oportere ut mundi simus, qvia nemo immundus videt Deum, sive nemo illorum, qvi in gloriam Cœlestem intravit, aut illa fruitur, immundus aut pollutus est, & qvia hæc pars gloriæ Cœlestis non minima erit, ideoqꝫ & in hac vita illi studendum est, ne id amemus, qvod statui Cœlesti adversum est.

v. 15. Explicatur hic, qvid sit ἁγιασμὸς.

v. 16. Legitur historia Gen. XXV. 23 seq. & notatur in illa impietas Esaui, qvi jus primogenituræ tam parvi pendens, ipsam benedictionis divinæ majoribus datæ derivationem in posteros suos, qvo illi fruerentur isthoc beneficio, qvo fruiti sunt postea Israelitæ, sprevit.

v. 17. *Reprobatus est*, non simpliciter sed ab illa prærogativa, qvæ in benedictione Jacobi erat de servanda apud posteros perpetua assistentia divina, per Prophetas & erectum

ctum publicum cultum Dei; nam & ipse benedictionem qvandam hausit. Videatur historia Gen. XVII. 34. seq. *Pœnitentiæ*, non suæ sed Patris Isaaci, i.e. non potuit impetrare, ut Patrem datæ benedictionis pœniteret.

v. 18. 19. seq. Innuit historiam legislationis Mosaicæ, qvæ legitur Exod. XIX. 12. & cap. XX. 19. & indicat legis promulgationem fuisse horribilem, qvæ fugæ & terrori causam dedit. Evangelii vero prædicationem esse svavem & gratam, qvæ fiduciam habet, adeoq; rectius posse nos & debere sanctitati studere, i. e. ab omni pollutione nobis cavere, cum illam audimus, qvam populus qvondam Hebræus jubebatur se sanctificare ad reverenter audiendam vocem legis.

v. 20. Τὸ διαστελλόμενον, i.e. qvod cœlitus demandabatur.

v. 21. Verba hæc Mosis non leguntur in scripturis V. T. sed repetuntur ex traditione, qvæ apud Judæos erat. Nam qvasdam traditiones apud Judæos non fuisse falsas, qvod ad historiam nempe pertinet præteritorum, facile damus, sed veras à falsis non possumus distingvere, nisi cum autoritas Apostolorum accedens illas probet.

v. 22. Mons Sion, in qvo apparuit Christus, qvando oblatus est in templo Hierosolymitano, & adultus factus ibi docuit, (nam in monte Sion ædificatum erat templum) opponitur monti Sinai, in qvo apparuit legislatio, & qvia monti illi juncta erat urbs Hierusalem, qvæ vocabatur civitas Dei ob religionem templi, pergit in hac metaphora illis vocabulis Apostolus gloriam cœlestem adumbrare, oppositam igni & caligini, aliisqve φαινομένοις, in monte Sinai qvondam apparentibus.

Μυριάδες ἀγγέλων. Myriades Angelorum hic opponuntur

Angelis in monte Sinai apparentibus, innuiturq; nos per Evangelium in consortium illorum pervenire.

v. 23. Πανήγυρις & Ecclesia opponitur hic convocationi qvondam populi Israëlitici, ad montem Sinai factæ, & sicut Israelitæ qvondam coram Pharaone vocabantur primogeniti Dei, i. e. majore portione gratiæ beati, ut solebant primogeniti prærogativam etiam in opibus paternis habere, ita & Ecclesiam Christianorum vocat primogenitorum Ecclesiam, qvorum nomina ab æterno scripta sunt in cœlis, qvod illis primum annutiandum fuerit Evangelium.

Judex Deus omnium dicitur non in relatione ad comparationem ejus qvondam ut legislatoris, sed qvia ex Evangelio benigne judicaturus est, non ex lege; junguntur illi *spiritus*, i. e. animæ, *justorum consummatorum*; i. e. piorum beatorum.

v. 24. Mediator Jesus opponitur Mediatori V. T. Mosi. *Sanguis aspersionis*, i. e. Jesu, qvo expiamur, opponitur sanguini vitulino, qvo V. T. sancitum est. Videantur notæ Cap. IX. 19. seqq. Dicitur autem hic meliora loqvi sanguine Abelis, qvia hujus sanguis effusus clamabat â terra ad vindictam, Gen. IV. 10. Christi v. sanguis ad reconciliationem.

v. 25. Judæi cum dedignati sunt audire ipsi vocem Dei, â monte Sinai demissam, docuerunt eo omine, qvod nec parituri essent illi. At hæc audiendæ ejus deprecatio non præstitit excusationem inobedientiæ, ut iram Dei effugerent, ita multo minus nos, qvi non vocem demissam â monte, sed ipsum Dei Filium, inter nos familiariter versantem, audivimus, effugiemus iram Dei, si ad vocem ejus nolimus attendere.

v. 26.

v. 26. *Concussit qvondam*, nempe terræ motu in legislatione *annunciavit*, nempe Hag. II. 7. *adhuc semel concutiam*, nempe tempore Christi; in ejus passione & morte enim non tantum terræ motus vehementissimus accidit, sed & cœlum ipsum loco qvasi motum est, cum in ipso plenilunio horribilis acciderit solis Ecclipsis, qvam & apud Sinenses observatam esse hodieq; illorum annales testantur.

v. 27. Motus ille cœli & terræ docet transitura illa esse, & sicut creata qvondam sunt, & ita desinere aliqvando. *Non concussa*, i. e. gloria cœlestis æterna.

v. 28. *Habeamus gratiam* i. e. concessam nobis divinitus observemus. *Cum pudore & pietate*, i. e. reverenter attendendo ad verbum Dei, uti oportuit qvondam Judæos, cum lex ferretur in monte Sinai.

v. 29. Verba hæc ex Deut. IV. 4. desumpta etiam respiciunt φαινόμενον ignis, in monte Sinai qvondam apparentis.

CAP. XIII. v. 1. 2.

REspicit Apostolus historiam Abrahami & Lothi, Gen. XIIX & XIX. qvia Angelos domi suæ exceperunt cum illos homines atqve hospites esse arbitrabantur.

v. 3. *Recordamini vinculorum*, nempe fidelium, qvi propter fidem in vincula conjecti sunt; *ut unâ vincti*, i. e. eo animo ut sortem illorum feratis tanqvam communem, & vincula illorum vos non aliter afficiant, qvam si ipsi vincti essetis juxta I. Cor. XII. 26. *Eorum qvi male habentur*, nempe propter fidem, vel qvocunq; etiam casu, ut qvi & ipsi estis in corpore, i. e. qvi & ipsi in eo statu estis, ubi eadem sentire atq; pati potestis.

v. 4. Τίμιος, scil. esto in omnibus nempe hominibus,

i e. tales sint nuptiæ, ut qvisqve & matrimonii & corporis sui dignitatem in illis observet, hortatur hinc in specie ad castitatem, qvia ejus norat esse præsentissimum periculum ob mores impudicos Judæorum & Ethnicorum.

v. 5. *Ipse enim dixit*, nempe DEus ad Josuam, Jos. I. 5. Qvi avaritiæ student, in perpetuo metu versantur, ne forte careant posthac. rebus necessariis, unde sibi qvoqvo modo cupiunt prospicere. Inde vero dehortatur Apostolus, argumento â promissione divina, qvæ certiorem fiduciam parit, qvam corrasio argenti, ad qvam allici potuerunt Hebræi ex metu persecutionis ulterioris, qvippe jam tùm raptum bonorum suorum passi, Cap. X. 34. ut occultum sibi qvendam thesaurum colligerent, qvi tempore necessitatis prodesset.

v. 7. Seqvitur hic adhortatio ad constantiam in doctrina exemplo Apostolorum, aliorumq; doctorum, v. 7. & ad cavendam opinionem de necessitate legis ceremonialis, v. 9. ob majorem nempe hostiam, v. 10. cui adhærendum est, v. 13. & secundum qvam offerendum, v. 15. unde repetitur hortatio ad audiendos doctores, v. 17. & preces pro Apostolo, v. 18. ἡγουμένων, generalis vox est, qvæ omnibus docentibus & Ecclesiam regentibus, sive Apostolis sive Evangelistis, sive Presbyteris competit, qvos omnes hac voce complectitur. *Exitum conversationis*, i. e. constantiam in morte, etiam violenta.

v. 8. Indicatur hic perpetua veritas doctrinæ de Jesu Christo, qvi idem est & manet, qvalis erat, & cujus adeo nec verbum, nec religio immutatur. Itaq; qvod de ipso audiverunt, cum ad fidem converterentur, sublatas per ipsum esse ceremonias legis, idem valet perpetuo, neqve

hæc

hæc religio in horas mutabilis est. Qvod in eum finem hæc sententia proferatur, patet ex v. seqq.

v. 9. *Cibis*, i. e. ciborum mundorum & immundorum differentia, unde nulla utilitas accessit ambulantibus, nempe ambulantibus in observatione ejus discriminis & legem Mosaicam religiose servantibus. Qvanqvam enim in V. T. ita fieri oportuit & benedictionem divinam inde etiam consecuti sunt fideles, qvod legem illam Dei servarent, non tamen virtute hujus discriminis, & qvasi in cibis ipsis aliqva vis insit, conscientiam mundarunt, ut coram DEO justi fierent, & cœli hæredes. Familiare hoc est Paulo, ut ubiq; contra necessitatem hanc legis ceremonialis scribat, & imprimis apud Hebræos videbatur esse necessarium, i. e. apud fideles in Judæa & Syria, cum illi maxime Zelotæ essent pro lege Mosaica, ut legimus Act. XXI. 20. idemqve & Gal. II. 12.

v. 10. Qvod leges ciborum Leviticæ non obligent nos Christianos, probat inde, qvod nobis epularum sacrificialium major licentia sit data qvam Israelitis, aut sacerdotibus Leviticis; illi enim de communibus qvidem sacrificiis atqve victimis partem absumere debebant in atrio templi, de iis nempe, qvorum sangvis non nisi in exteriori altari, qvod victimarum erat, (Brandopffer Altar) & in atrio positum erat extra ædem sanctam, aspergebatur, edere debebant carnes non combustas in altari, at de illis sacrificiis, qvorum sanguis intra ædem sanctam afferebatur, & vel ad altare thymiamatis, vel ad ipsum propitiatorium aspergebatur, ut sacrificiorum pro peccatis populi, atq; sacerdotis, de qvibus Lev. IV. aut (hirci) victimæ in die expiationis anniversariæ mactatæ, edere non licebat, sed illorum tota corpora extra castra, vel extra urbem Hierosolymita-

lymitanam comburebantur; nos vero corpore Christi, extra urbem sacrificati, cujus sanguis in ipsum cœlum penetrat, vescimur in sacramento Eucharistico ideoq; nostrum majus est qvam illorum privilegium. Canon ille scriptus est Levit. VI. 30.

v. 12. *Propterea*, nempe qvia sacrificium Christi erat solenniſſimum, & expiatorium pro peccatis omnibus totius mundi, etiam id debebat servari, qvod Deus de solennibus expiatoriis sacrificiis jusserat, ut extra castra comburerentur.

v. 13. *Egrediamur*, mente & animo, relinqventes templum Judaicum & ceremonias Leviticas, ut assistamus huic sacrificio & confessione nostra nostrum faciamus. *Opprobrium ejus ferentes*, si nempe propterea ridemur & (odio) & contemptui habemur â Judæis.

v. 14. Nihil curæ sit nobis ex urbe expelli, nec cum Judæis habitare amplius infidelibus; nam hic exitus noster docet, qvod cœlestem aliam Hierosolymam qværamus.

v. 15. *Per ipsum*, i. e. ejus sacrificii virtute. Opponit hæc Methaphorica hujus & seq. versus sacrificia continuatis Leviticis sacrificiis Judæorum.

v. 17. Regreditur hic ad priorem adhortationem versus 7. ut & exempla & doctrinam præsulum suorum seqvantur.

v. 18. Ratio illa adducitur precum pro Apostolo, qvod sine culpa sua patiatur, qvicqvid patitur.

v. 19. Altera ratio precum ponitur in spe reditus sui ad ipsos, postqvam jam carcere Romano liberatus est.

v. 20. Conclusio cum voto, ubi mentionem facit magni pastoris ovium ad confirmandam autoritatem presbyterorum, qvam v. 7. 17. inculcavit; & sanguinis testamen-

testamenti æterni, ut in memoriam regerat, qvæ de hoc Christi officio late tradidit, Cap. VII. 8 9. 10.

v. 21. ποιῶν ἐν ὑμῖν, nempe ipse Deus ita vos perficiat, ut ipse, qvod sibi placet, in vobis efficiat.

v. 22. Hoc qvasi post scriptum est, qvo hortatur, ut hujus Epistolæ argumentum lubenter legant & meditentur, nam multa se paucis verbis complexum esse testatur.

v. 23. *Solutum*, nempe etiam carcere suo; si *celerius venerit*, nempe ad me, anteqvam hinc proficiscar, eum comitem mei itineris assumam.

v. 24. ἡγουμένους, i. e. Ecclesiæ ministros & Præsules; sanctos, i. e. fideles. *Salutant vos ab Italia*, i. e. Itali fideles, apud qvos Paulus vel tunc fuit, vel paulo ante fuerat, cum hæc scriberet.

FINIS.

EXEGESIS
IN EPISTOLAM JACOBI.

JAcobi Epistolam Athanasius in Synopsi inter septem Catholicas fecit primam, qvam Petri, Johannis & Judæ Epistolæ seqvuntur, & eum ordinem Græcorum vocat Hieronymus in prolegomenis ad 7. Catholicas, sed & idem monet ibidem, qvod Latini Codices Petrinam hactenus ante posuerint; qvem ordinem seqvuntur Biblia Germanica Lutheri, qvi, qvod illi non fideret, eam re iqvis postposuit. Rationem ordinis sui Latini à dignitate Apostolorum videntur petiisse, Græci ab ordine scriptionis, qvod Jacobæam reliqvis tempore antiqviorem esse crederent. Qvare autem vocentur catholicæ hæ septem, dubium est, pleriqve malunt hoc nomine illas distinctas esse ab Apocryphis aliis, non æqve in Ecclesia receptis, aut impare autoritate fulgentibus, v. g. Barnabæ, Polycarpi, Ignatii Epistolis. Sed ita non satis causæ apparet, qvare hoc nomine, & à

Paulinis distinctæ sint. Alii igitur eas inde sic vocatas esse censent, qvod nulli certæ Ecclesiæ aut loco inscriptæ sint, sed dispersis undeqvaqve fidelibus; nam & encyclicas eas appellatas qvondam esse conceditur, qvod ab alia ad aliam per omnes Ecclesias in orbem missæ sint. Obstat qvidem (1.) qvod Johannis secunda & tertia itidem inscriptæ sint certis personis, nec minus tamen inter catholicas relatæ. Rs. sed (1) sunt, qvi & has inscriptiones, *electæ Dominæ & Gajo dilecto*, pro Symbolicis habent, qvibus universa Ecclesia & qvisqve fidelis innuatur; ita enim Hieronymus Eph. II. ad Ageruchiam, electam Johannis explicat, sicut & in Spermanni Glossario observatur, qvod Κυριακὰ apud Athenienses idem significet, qvod Curia apud Latinos, & sic conventum ad Ecclesiam significare posset. (2.) Nil obstat, denominationem harum Epistolarum factam esse â potiore, ut sub eo titulo in unum volumen compingerentur pauciores & breviores reliqvorum Apostolorum Epistolæ, qvi plerisq; aptus erat. Obstat (2.) qvod Epistola ad Hebræos æqve late inscripta inter Catholicas tamen non numeretur. Resp. 1. qvia ad Paulinas Epistolas, relata est, commune cum illis nomen sortita est, magno argumento, qvod Paulus ejus Epistolæ autor satis certe agnitus sit. (2.) Non nisi in Syria erant, qvi Hebraice in Synagogis loqvebantur, itaqve certæ provinciæ fidelibus, non per totum orbem dispersis, inscripta est, & sic ê numero Catholicarum merito exempta.

Autorem Epistolæ non esse Jacobum, filium Zebedæi, fratrem Johannis, qvi nominatur Matth. X. 2 ab omnibus fere interpretibus conceditur, qvia ille cito capite plexus est ab Herode, Act. XII. 2. qvo tempore nondum multæ Judæorum fidelium Ecclesiæ per orbem dispersæ exstabant. Alius nominatur Jacobus Alphæi Matth. X. 3. Jacobus minor vel potius parvus, nempe statura, Marc. XVI. 40. qvi frater Joses & Mariæ filius erat. Item Jacobus frater Domini, Gal. I. 19. qvi Hierosolymis præsidebat Ecclesiæ, Act. XXI. 18. & in Concilio Hierosolymitano sententiam dixit, secundum qvam conclusio facta est, Act. XV. 13. qvi unusne an plures fuerint Jacobi, inter eruditos controvertitur. Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. II. Hist. Eccl. Cap. 1. duos tantum Jacobos agnoscit, alterum

alterum cognomine justum, alterum eum, qvi obtruncatus, Act. XII. At Egesippus antiqvissimus scriptor, & Apostolorum temporibus proximus, apud eundem Eusebium lib. II. C. 23. plures fuisse Jacobos dicit, & Jacobum Justum, fratrem Domini, ab Apostolis non obscure distingvit. Ipse Eusebius Lib. I. C. 12. Jacobum fratrem Domini ex septuaginta Discipulis fuisse docet. Et sic pleriqve Veteres tres Jacobos distingvunt. Pro priore sententia facit, qvod Paulus fratris Domini & ejus, qvi inter præcipuos Apostolos fuit, sine omni distinctione meminerit, Gal. I. 19. Cap. II. 9. 12. Pro posteriore sententia facit, qvod Jacobus frater Domini Matrem habuerit Mariam Cleophæ, Christi Materteram; Conf. Matth. XIII. 55. cum Cap. XXVII. 56. 61. & Joh. XIX. 25. qvi Cleophas procul dubio fuit cum eo, qvi cum Christo in via Emauntica locutus est. Luc. XXIV. 18. Materteræ Christi non pater, sic enim Cleophas Christi Avus fuisset, sed Maritus, adeoqve Pater hujus Jacobi, qvi adeo alius fuit qvam Jacobus ille, qvi Alphæum patrem habuit. Nisi Cleopham vitricum Jacobi, Alphæum vero patrem fuisse, aut utrumqve nomen ejusdem hominis exstitisse mavis. Nos in re obscura nihil possumus definire, nisi qvod autoritates pro distinctione utriusqve videantur graviores esse. Qvomodo vero & qvo gradu cognationis Jacobus frater Domini appelletur, pariter dissentiunt interpretes, cum alii velint fratres illos, Matth. XII. nominatos esse filios Josephi, ex alio matrimonio susceptos, alii vero eos Christi consobrinos fuisse docent, qvod ex collatione locorum superius facta concluditur. Hebræi enim cognatos qvosqve fratrum nomine compellant.

Qvi distingvunt hos Jacobos, non Alphæum, sed fratrem Domini hujus Epistolæ autorem esse malunt credere, juxta Eusebium lib. II. c. 23. Lutherus, Erasmus & Magdeburgenses alium juniorem Jacobum autorem esse censent & autoritatem hujus Epistolæ Apostolicam plane in dubium vocant. Argui eam, qvod spuria sit, apud plures inter antiqvissimos scriptores, docet etiam Eusebius lib. II. c. 23. & Lib. I. II. c. 25. contradici illi docet. Idem tamen ibidem & â pluribus eam agnosci profitetur. Qvia vero non tantum inde â seculo IV ab omnibus agnita est, sed & antea ab Ignatio, Clemente Alexandrino,

Tertulliano Hippolyto, Origene, Cypriano laudatur, neqvè veritati ejus nocet, qvod multis in locis tardius innotuerit, dummodo aliqvibus in Ecclesiis tempore Apostolorum agnita & probata sit, nos qvoqve eam recipere inter reliqvas scripturas Canonicas non dubitamus.

Rationes contra ejus autoritatem afferuntur hæ. (1.) Qvod ipse autor se non vocet Apostolum Jesu Christi, sed tantum servum Dei. Sed Rs. (1.) idem urgeri ab illis, qvi Jacobum fratrem Domini distinguunt â Jacobo Alphæi, & nihilominus dum eum autorem esse Epistolæ profitentur, Epistolam esse canonicam agnoscunt, qvemadmodum Marci & Lucæ Evangelia, qvorum autores non fuerunt apostoli, sed viri Θεόπνευστοι. (2.) Argumentum illud nimis leve est, qvam ut probare possit, autorem non fuisse Apostolum; nam & Paulus Epistolam ad Philippenses & ad Thessalonicenses utramqve orditur sine Apostolatus sui mentione & generale nomen Servi Jesu Christi omni officio & omni dignitati Ecclesiasticæ convenit. (2.) Urgent, qvod nil de Christo & ejus morte ac resurrectione doceat hæc Epistola, qvod tamen præcipuum sit Apostolorum officium. Rs. A scopo scribentis pendet Epistolæ contextus; neqve enim hæc ad fidem confirmandam scripta est, sed ad mores emendandos. (3.) Urgent, qvod autor Paulo in doctrina de justificatione videatur contradicere, cap. II. 14. Rs. Qvo magis Pontificii calumniantur, qvod ob eam solam causam, huic Epistolæ autoritatem divinam denegemus, qvod eam doctrinæ nostræ de fide & justificatione nimis aperte videamus adversari, eo magis attendendum est ad verum Jacobi sensum, qvod ille nobis non contradicat, qvodqve Pontificii tam venerandum in antiqvitate testimonium pro causa sua non habeant, neq; adeo ex illa ἐναντιοφανείᾳ, qvæ obiter legenti occurrit, ad eam rejiciendam moveri. 4. Urgent, qvod autor alibi qvædam verba Petri exscribere videatur, adeoqve illo sit recentior. Resp. Utut similes qvodammodo sint sententiæ, non easdem tamen esse, conferenti facile patet.

Tota Epistola scripta est ad confirmandos inter adversa fratres, ne fortunam impatienter ferant, nec ob sortis diversitatem alter contra alterum animo efferatur.

Scri-

Scripta est sine Exordio & Epilogo, tantum inscriptio absolvitur Cap. I. v. 1.

Propositio prima est de moribus afflictorum, nempe qvod patientia fortunæ adversæ utilis sit, Cap. I, v. 2. â DEO expetenda, v. 5. in fiducia non dubitante, v 6.

Subjecta primo consideratione inconstantiæ mundi, v. 9. & 2. gloriæ cœlestis, v. 12. 3. qvod tentatio impatientiæ â propria cupiditate sit, v. 13. Cum â DEO non nisi bona veniant, v. 17. Qvare concludit, discendum esse reverenter sine murmure & indignatione, v. 19. idqve practice, v. 22. qvod religio sit practica, v. 26. qvam praxin applicat *Propositio secunda* ad mores erga afflictos, v. 27. *Nempe* 1. ne qvenqvam despiciamus, Cap. II. v. 1. proposito casu postpositi pauperis, v. 2. qvem illustrat ab honore, qvo DEUS pauperes prosequitur, v. 5. & â moribus divitum plerumqve perditis, v. 6. & ab universali lege amandi proximi, v 8. qvæ nobis qvoqve observanda sit, etsi â legis jugo liberatis, v. 12. Ubi occursurus objectioni, qvod Christianum fides faciat, non legis observatio, docet fidem, cui opera non adsunt, vanam esse, v. 14 sicut nil prosunt egeno verba sine re, v. 15. imo mortuam esse, v. 17. Unde provocationi locus sit, & ostendatur ejus vis, v. 18. qvod probat Exemplo Abrahami, fidem ostendentis & inde approbati, v. 21. Exemplo Rahabi, v. 25. & similitudine corporis humani, v. 26. *Deinde secundo membro* monet, ne qvem temere judicemus, qvasi cui pam ejus arguendo, Cap. III. v. 1. *a.* qvod cuiqve sua labes sit, vers. 2. præcipuum vero lingvæ momentum, nec lingua facilis domitu, v. 7. in utramq; partem flexilis, v. 9. *b.* qvod decentius exemplo prosimus, v. 13 amaritudo vero & contentio verborum nec veritatem servet, v. 14. nec Christianæ sapientiæ conveniat, v. 15. sed omnis â prava concupiscentia oriatur, C. IV. v. 1. qvæ passim homines reddit inqvietos, v. 2. â qva dehortatur, v. 4. & animum DEO promptum ac submissum gerere jubet, v. 8. Concludens denuo, ut abstineant â maledicentia, v. 11. seq. *Tandem* 3. *membro* monet, ne nobis & statui nostro confidamus, v. 13 qvod futura dies incerta sit, v. 14. & gloriatio sit superbiæ, v. 16. qvod præsens felicitas peritura sit, Cap. V. v. 1. & iniqve factorum reddenda ratio, v. 4. seq.

Propositio 3. *redit* ad afflictos, jubendo primo expectare adventum Christi, v. 7. sine gemitu impatiente, v. 9. Exemplo veterum sanctorum, v. 10. & sine jure jurando impatiente, v. 12. Jubendo 2. remedium sibi qværere Psalmis, v. 13. Virtute miraculosa Ecclesiæ, v. 14. precibus & intercessionibus mutuis, v. 16. denique mutua ædificatione, v. 19. seq.

CAP. I. v. 1.

DEI & Domini. Qvamvis multi interpretes utraqve voce Jesum Christum denotari putent, qvia tamen alias in scriptis Apostolicis Deus Pater & Dominus Jesus Christus distincta appellatione conjunguntur, præstat eodem sensu & hæc verba accipere, ut nomine *Dei* intelligatur Pater, non exclusis tamen reliqvis S. Trinitatis personis, nomine *Domini* vero Christus secundum humanam naturam. Ita enim agnitio DEI veri Christianos â gentilibus, Christi Jesu vero â Judæis distinguit, Joh. XVII. 3.

Servus Etsi omnes sumus servi Dei specialiter tamen hoc titulo honorantur, qvi in officio Ecclesiastico constituti sunt, & ita hæc vox generica est pro omni Ministerio sacro. *Duodecim tribus*, procul dubio Israelis, ex qvibus omnibus edicto Cyri Regis Persarũ commoti redierunt Hierosolymas, in terram Judaicam, qvi voluerunt, reliqvis in Assyriâ & Babylone, aliisqve vicinis Persarum regionibus manentibus. Ut inanis fabula sit, qvæ de decem tribubus ad ultima mundi abductis & post fluvium sabbaticum degentibus fabulantur Judæi. *In dispersione.* Dispersio Græcorum, Joh. VII. 35. appellantur omnes Judæorum coloniæ, qvæ post Alexandri Magni tempora in varias regiones, ubi Græcus sermo obtinebat, deductæ sunt. Imo cum etiam in terris Persicis ab Alexandri expeditione Græca lingua passim audiretur,

diretur, etiam qvi ex Persiâ & Babylone nunqvam redierant, hoc nomine poterant comprehendi. Dum autem Judæis per orbem dispersis simpliciter hæc inscribitur Epistola, dubium est, an tantum fidelibus, & ad Christianam fidem conversis eam inscriptam voluerit. Qvamvis enim nihil agat, ut infidelibus fidem persvadeat, generales tamen illæ invectivæ in divitum perditos mores, qvæ occurrunt cap IV. & V. videntur non omnino in Christianos qvadrare, de qvibus eo tempore meliorem debuit habere præsumptionem; dicendum igitur, Christianis qvidem proprie destinatam Epistolam, sed ita tamen, ut cuperet illam & ab illis legi, qvi nec dum penitus eam fidem profitebantur, utut ab illa nec alieni essent. Multos enim eo tempore extitisse verosimile est, qvi ambiguo animi impetu fluctuarent, & licet veritatem Evangelii agnoscerent, multitudine tamen exulum & male â fratribus Judæis infidelibus exceptorum fidelium, fortunis scandalizabantur, qvi his monitis & ipsi corrigi poterant.

v. 2. *Omne gaudium*, i. e. plenum & magnum gaudium, qvod vult oriri â mentis æstimatione, dum dicit omne gaudium putate, qvia per se & sine relatione ad fructum inde redundantem tentationes illæ gaudia non sunt. *Tentationibus variis*; illas præsumere debuit Apostolus, accidere Christianis fidelibus inprimis ex Judaico sanguine oriundis, qvia protervus Judæorum Zelus non tantum summa vi sæviebat in confessores Christi, sed & magistratus Ethnicos passim commovebat ad illos perseqvendos, qvæ exacerbatio Judæorum major fuit erga populares, qvos ut apostatas respiciebant, qvam erga gentiles.

v. 3. *Cognoscentes*. Ratio hic redditur propositionis in v. 2. Τὸ δόκιμον est latine documentum, vel experimentum

tũ. Experimentũ autem fidei seqvitur fidẽ & fidei exercitiũ, qvia ex illo capitur. Significat etiam id, qvo experimentum fit, & hoc sensu h. l. accipitur, ut ipsa tentatio sit hoc δόκιμον sive experimentum fidei; & sic articulus τὸ demonstrative refertur ad voces præcedentes, nempe qvod illud experimentum fidei. *Operatur tolerantiam.* Alioqvin Rom. V. 4. Paulus docet, qvod tolerantia operetur probationem, nempe actualem, at hic dicitur qvod probamentum, seu id qvo fit probatio, operetur tolerantiam, & sic non sunt adversa hæc duo loca, ut primo intuitu videri poterat.

v. 4. *Tolerantia habeto.* Ergo non docet, omnem tolerantiam esse perfectam, sed jubet esse. *Opus perfectum.* Multis exemplis docet Heinsius ad h. l. qvod Græci scriptores πλεῖον appellent, non qvod ad finem pervenerit, sed qvod ad finem tendit, & hoc sensu necessario sumitur h. l. qvia tolerantia finem suum non assequitur, qvamdiu homo vivit, sed durare tantum pergit.

In nulla re deficientes, i. e. in nulla tentatione. Sic explicat vocem perfecti, qvod nempe non interrumpi debeat patientia ipsorum, adeoqve nullam sibi tentationem ita gravem putare, qvæ vinci patientia neqveat.

v. 5. *Sapientia*, nempe ad tolerantiam illam necessaria; non omnis moralis sive morum perfectio aut virtutis studium sapientiæ nomine appellatur in S. Scriptura.

Ἁπλῶς. Simplicitas illa opponitur versuto & callido consilio, qvemadmodum â tali simplicitate sese laudat Apostolus II. Cor. I. 12 idemqve adeo dicit Jacobus, qvod DEUS bono consilio & vero amore dona sua impertiatur omnibus hominibus, qvod omnibus benedicat, non vero ea mente, ut in laqveum & pernitiem nonnullis cedant, qvod volunt Calviniani, cum χαρίσματα divina reprobis

dari

dari docent in majorem illorum confusionem & damnationem.

Non exprobrante. Solent, qvi parcè dant, exprobrare plura petentibus ea, qvæ acceperunt, id qvod â Deo alienum esse docet, qvi iis, qvi expetunt χαρίσματα spiritualia ordinaria & communia, nihil deneget, sed eo plura impertit, qvo plura desiderant, utut exprobret beneficia ingratis, ea non curantibus.

v. 6. *In fide*, nempe fiduciali, ad qvam confirmandam pertinent, qvæ versu 5. de animo bono & liberalitate DEI dicta sunt. *Nihil dubitans*, sive de bonitate DEI largituri, sive de bonitate boni largiendi. Qvia enim sapientiam patientiæ jubet â Deo petere, impatientia vero varias subjicit dubitandi rationes, sive de veritate fidei, pro qva ærumnas patimur, sive de ferendi eas necessitate, ut qvalicunqve sive simulatione sive vindictæ studio sive alia arte prava deinde eripere putes consultum, omnino necesse videbatur Jacobo monere, ut qvi talibus agitatur consiliis, nondum satis ad preces sit compositus, cum illæ non sint seriæ preces, qvæ aliis consiliis impatientiæ interrumpuntur & qvarum exauditionem non serio & tota mente expetis; propterea addit descriptionem dubitantis, qvod sicut fluctus maris modo surgunt, modo residunt, & in varias partes agitantur, ita & homo de ipsa precum suarum bonitate dubitans modo velit, qvod petit, modo nolit.

v. 7. *Accipiet quicquam*, nempe in exauditionem precum suarum, qvia preces ejus nec seriæ sunt, nec fiduciales. *Bicor.* Ex hoc Epitheto & subjecta descriptione patet, qvod loqvatur de tali dubitante, qvi ipse sibi non constat, qvid tandem velit â Deo habere. Utrumne im-

munitatem ab ærumnis qvantovis pretio emptam, an vero fortem illorum tolerantiam. *Viis suis* i. e. actionibus per Hebraismum.

v. 9. *Glorietur vero.* Hic rationes incipit proponere, qvæ possint pios in vera patientia confirmare, qvarum prima est â rerum hujus mundi inconstantia, opposita æternæ gloriæ, ut facile possimus præsentium ærumnarum oblivisci, si meditemur, qvanta nobis immineat felicitas cœli, & qvam facile pereat, qvod in hac vita splendorem habet. Itaqve jubet gloriari de eo, qvod speras, etiam dum premeris. *Humilis*, i. e. ærumnis ad terram pressus. *In altitudine*, qvæ ipsi parata est, juxta versum 12. & cujus jam tum pignus accepit Spiritum S. & æstimationem habet apud Deum & sanctos angelos.

v. 10. *Humilitate*, scil. gloriatur, qvod ex versu præcedenti repetendum, & si illa Catachresis verbi est, cum dicitur gloriari debere de humilitate, qvos dolere vult juxt. Cap. V. 1. Sensus autem est, qvod ita debeat præsentibus opibus confidere dives, ut qvi meminerit, illas cito perituras esse. Opponit autem divitem humili & afflicto, tum qvia opibus facile remedium aut solatium qværi potest adversus varias hujus mundi ærumnas, ne divites perinde ac pauperes illis succumbant, tum qvia bona pars ærumnarum ejus temporis, qvibus fideles premebantur, in eo consistebat, qvod per vim fortunis suis spoliati essent & in exilium pulsi. Conf. Epist. ad Ebr. C. XII. 4. & cap. X. 34.

v. 11. *Decor faciei*, i. e. aspectus & formæ, qvam habet gratam. *In Viis*, i. e. in consiliis, qvæ agitat ex ratione divitiarum.

v. 12. *Beatus.* Eventum hunc meliorem ex ærumnis opponit jacturæ præsentis felicitatis, non ut mercedem ex

ex merito, ſicut nec divitiæ per ſe promerent marcorem ſui, ſed ut compenſationem gratuitam, qvæ ſola nititur promiſſione Domini, i. e. Jeſu Chriſti.

v. 13. *Nemo dicat.* Aliud hic argumentum proponit adverſus impatientiam, qvod ærumnæ, qvæ â DEO immittuntur, ex intentione divina non ſtimulent nos ad impatientiæ cogitationes, qvodqve Deus nemini imponat, qvod ferre neqvit, ſed qvod intus in animo hæreat illa pravitas, qvæ tales ſtimulos ſubdit. Nihil eſt familiarius, qvam ut homines peccati ſui cauſam referant in Deum atqve ita illi qvoqve, qvi malorum patientes non ſunt, aliqvid ſolent comminiſci, qvo credant Deum nolle, ne id fieret, Deum tentare, an etiam tam ignavi ſint, qvi nolint ſe opponere per vim aut fraudem ejusmodi vexationibus &c. qvalem cauſationem illis voluit eripere. Vel etiam ajunt ſimpliciter Deum noluiſſe eam gratiam illis concedere, ut fortunam patienter ferant, ob qvam cauſam jam tum v. 5. hortatus erat Apoſtolus, ut ad preces ſerias ſe converterent, easqve exauditum iri promiſerat. ὁτι. Abundat ex Græcismo.

Intentabilis. Græca vox paſſivam habet ſignificationem, qvod Deum ipſum non laceſſant aut tentent mala, qvæ adeo ratio eſt, qvod nec ipſe ad malum tentet. Nam qvi malas tentationes immittit, eo ipſo prius oportet eſſe malum.

Tentat neminem, nempe ad malum, qvæ vox ex præcedente commate eſt repetenda. Nam ſæpe DEUS tentat pios, at non malis moralibus, neq; ad mala moralia.

v. 14. *A propria concupiſcentia*, nempe Originali, intime cuiqve inhærente. Loqvitur ergo non de tentationibus externis ſive ærumnis & adverſitatibus, qvas uti-

qve DEUS immittit, sed de internis, ad prava consilia stimulantibus, qvæ Christianam patientiam & recte se gerendi sapientiam turbant, â precibus, â fide & spe abducunt, illas stimulationes negat ab alio principio, qvam ab innata nobis pravitate provenire. *Protrahitur & allicitur.* Nempe externa objecta per se non movent ad peccandum, sed per connatam animi malitiam, qvæ occasionem nacta ab externis in lucem protrahitur, & latens in radice sua malum protrudit, juxta Rom. VII. v. 8.

v. 15. *Concupiscentia concipiens.* Concupiscentia originalis in actum deducta, sive actum aliqvem ex se eliciens, vel applicata ad certum objectum, sicut matrix apprehenso semine parit peccatum, nempe actuale. Atqve ita etiam concupiscentia actualis, prout est in motibus secundis, hoc nomine comprehenditur, uti motus primi sunt qvasi ipsa conceptio peccati originalis. Etsi enim etiam motus primi formaliter sunt actuales, & actualia peccata, qvia tamen motus secundi magis observabilia peccata sunt, ideoqve peculiariter hoc nomine denotantur. *Perfectum*, i. e. non suppressum & superatum per Spiritus S. gratiam, sed ut cogitatum, ita etiam executioni datum. *Parit mortem*, spiritualem & æternam, i. e. facit, ut ex gratia Dei excidamus, juxta Rom. VI. 23.

v. 16. *Ne erretis.* Hæc admonitio subjicitur propterea, ut majore emphasi tollat eum errorem, qvem præsumebat pluribus inesse, ut impatientiæ suæ culpam in Deum vertant, qvasi ille gratiam eam non dederit, ut rectius se gerant.

v. 17. *Omnis datio bona.* Hæc universalis propositio est exclusiva contrarii, qvasi inverso ordine scriptum esset: omnis datio, qvæ superne est, bona est,

vel

vel non nisi bona datio superne est, qvi modus loqvendi Hebræis est familiaris. *Bona*, i. e. benigna & liberalis. *Perfectum*, i. e. tale, qvod sine macula est & omni nævo caret, cui opponitur v. g. virtus imperfecta, alicubi non plenæ conformitati studens. Itaqve qvod renovationis nostræ virtutes imperfectæ sunt, non â manca Dei donatione, sed â nostra incapacitate est, qvæ nec dum perfectam & omnibus numeris absolutam virtutem capere & fovere potest. *A patre luminum.* Nomine luminum & lucis omnis felicitas, lætitia & lætitiæ causſa apud Hebræos significatur. Itaqve pater luminum est is, qvi omnis beatitatis & perfectionis fons & causa est. *Immutatio*, nempe talis beatitatis & perfectionis, ut bonitas ipsius ecclipsin patiatur invidiæ aut alterius vitii, qvale qvid in ipso esse deberet, si ejus dona non essent bona & perfecta, aut ab ipso tentatio ad malum proveniret.

v. 18. *Consultus.* A naturæ divinæ integritate descendit Apostolus ad consilii bonitatem, qvod præ cæteris beneficiis esse voluerit erga illos, ad qvos scribebat Apostolus, ideoqꝫ consulto, i. e. ex deliberato consilio, non fortuito, gratiam impertiverit; unde concludendum, qvod non possint tentationes peccaminosæ â Deo oboriri in illis, qvos tam præcipuo favore dignatus est. *Peperit nos.* Adoptamur enim Deo filii per justificationem & regeneramur per baptismum, ideoqve hac metaphora nunc etiam utitur. *Verbo veritatis*, i. e. verbo verissimo, nempe Evangelio, qvod vos non decipit. A verbo divino omnis est regenerationis virtus, etiam in baptismo juxta Catechismum Lutheri. *Primitiæ*, i. e. primi N. T. fideles, primi Christiani, ad qvos Evangelium primùm pervenit, ut porro in omnem mundum propagaretur.

Metaphora ducta est â primitiis frugum in V. T. Deo offerendis, qvali & Paulus utitur, Rom. IX. 23. C. XI. 16. Urget itaqve hanc præcipuam gratiam Dei, qvod primo omnium ad illos pervenerit Evangelium. *Creaturarum.* Hujus vocis sensus patet ex præcedentibus, qvod nempe creaturæ dicantur, qvi regenerantur & renovantur ad fidem & pietatem Christianam.

V. 19. Ὥστε, *ita ut.* Est illatio ex præcedentibus, ut qvia Deus tam bonus est erga nos & præcipue verbo Evangelii nos sibi genuit, id etiam attente & prompte audiamus. *Omnis homo.* Qvamvis extendi possit hæc vox ad unumqvemqve hominem, hic tamen præcipue intelligitur homo fidelis & regeneratus. *Tardus ad loqvendum*, i. e. impatientiæ verba proferendo. Nam pressorum & infelicium verba plerumqve spirant impatientiam, & sic etiam Jobus promisit, taciturum se esse, ne forte obloqveretur Deo. Tardus igitur ad loqvendum est, qvi bene considerat verba sua, ne qvid se indignum proferat. *Ad iram*, qva indignetur iis, â qvibus sibi mala obveniunt, qvæ patitur.

V. 20. *Justitiam Dei.* Justitia apud Hebræos sæpe significat metonymice id, qvod qvisqve præcise debet secundum legem, & ita opponitur misericordiæ vel benignitati, vel facto, qvod qvis proprio suo motu præstat. Et ita hoc loco sumitur: iram viri non semper observare id, qvod secundum legem Dei præcise observari debebat. Nam impetus animi tollit judicium.

V. 21. *Propterea*, nempe qvia ira viri non facit, qvæ recta sunt. *Abjicientes omnem sordiem.* Sicut antea v. 17. sanctitatem Dei descripserat, per methaphoram lucis inobtenerabilis, ita nunc peccata qvoqve hominum

minum apta cōnvenientia describit per metaphoram sordium, qvia qvod luci officit, pro sordibus æstimari solet in lumine aut speculo. *Abundantiam.* Non potest omnis ab homine abjici malitia, qvippe nimis intime inhærens animo, supprimenda tamen est, & sic abundantia ejus tollenda. *In mansvetudine*, qvæ iræ & impatientiæ opponitur, qvamqve imprimis ut commendet toto hoc capite, occupatur. *Insitum verbum.* Insitio illa sive inscriptio in corda atqve animos Christianorum, Jer. XXXI. 33. promissa, opponitur inscriptioni in lapides factæ, qvaliter lex data est, de qva II. Cor. III. 7. Lex enim, qva talis, i. e. qva præcipiens tantum, nullam largitur homini renovationem mentis, at verbum Evangelii in gratiam recipit hominem & operatur intus in animo ad conversionem & renovationem, ut mutata mente sponte id faciamus jam, qvod lex imperat invitis. Unde ministerium ejus dicitur ministerium Spiritus, II. Cor. III. 8. & verbum illud dicitur nobis implantari, I. Cor. III. 6. & in nobis fructificari, Col. I. 6. Articulo autem, τὸ ἔμφυτον, se refert ad v. 18. ubi de illo ejusqve beneficio jam egerat. *Qvi potest salvare*, nempe ob virtutem S. Spiritus insitam, atque ut salvare ita & renovare potest.

v. 22. *Sitis vero factores*, i. e. in praxin deducite vires â verbo divino concessas, ne iterum elabantur & pereant. *Decipientes*, nempe malis conclusionibus, quas formare de se solent homines, ex sola agnitione Theoretica verbi divini sese beatos prædicando.

v. 23. *Vultum facturæ vel nativitatis*, i. e. qui ipsi factus est, & quo natus.

v. 24. *Et oblitus est.* Id qvod communiter accidit homini perfunctorie intuenti. Elegans hoc est simile, perfun-

perfunctorios & mere Theoreticos verbi divini auditores adumbrans. Sicut enim vis speculi statim agit in intuentem, sic etiam vis verbi in audientem, sed & sicut qui oculos a speculo avertit, formam sui & ex oculis & paulatim ex memoria elabi experitur, ita & qui cogitationes alio vertit, experitur vim verbi divini apud se perire, adeoque nullum ipsi inde fructum esse.

v. 25. *Intuitus.* pergit auditum verbi divini comparare cum intuitione speculi, etiam respectu alterius membri comparationis, nempe auditoris sedulo. Ita enim Græca vox, παρακύψας sedulam & attentam intuitionem significat, & ita mente intueri oportet in legem divinam. *Perfectam*, i.e. non in externum tantum corticem, quatenus opus externum præscribit, sed juxta requisita animi vere probi considerata, & præcipue juxta id, in quo complementum legis consistit, nempe amorem, Rom XIII. 8. Matth. XXII. 37. seqv. *Libertatis.* Lex amoris est lex libertatis, in quantum non vi & metu, sed spontaneo spiritu ducimur ad obsequendum Deo. Liberati autem sumus â jugo legis, accusante & terrente, per gratiam Evangelii, quæ Spiritum S. nobis dedit, ut sponte nostra sanctitati studeremus. Et ita Paulus, Gal. V. 13. jubet, ne libertas, ad quam vocati sumus, cedat in occasionem carni, sed ut per amorem faciamus, quæ legis sunt. Idem innuit hoc loco Jacobus, ideoque legem libertatis vocat, ut usum legis omnem non cessasse innuat per Evangelii doctrinam, sed quod illa nobis perpetuum debeat hodogetæ officium præstare etiam cum â terrore ejus liberati sumus. Alii Theologi malunt per legem libertatis ipsum Evangelium intelligere, sed id scopus & contextus Apostoli, ad rectum officium pati-

patientiæ & humanitatis in publicis persecutionibus adhortantis, non patitur. *Manens*, in perpetua scil. consideratione officii nostri, qvod in lege docemur. *Auditor oblivionis*, per Hebraismum: auditor oblivioſus. *Beatus in opere ſuo*, nempe ipsa sui renovatione, quæ per se magna felicitas, animum ulterius reddit tranqvillum, cnm fidei suæ & gratiæ divinæ in illa testimonium habet, & sic tandem etiam de æterna salute certus est, etsi illa per bona opera non obtineatur, qvæ per mala opera poterat perdi. Conf. beatificationes Christi, Matth. V.

v. 26. *Non cohibens linguam*. A murmure adversus Deum, aut adversus fratres, vel feliciores sese, (qualis invidia in pressis sæpe solet oboriri) vel in feliciores, qvale murmur sæpe auditur, cum illis succurrendum est. Ista enim omnia complectitur hac voce Apostolus, cum â primo membro sui moniti, sive â prima propositione de moribus afflictorum transitum faciat ad alteram de moribus feliciorum. *Sed decipiens cor ſuum*, falsa nempe pietatis persvasione, qvæ hominibus freqvens est, cum qvod videri cupiunt, primum sibi ipsis persuadent esse, promoto voluntatis in intellectu imperio.

v. 27. *Religio pura*. Occasione hujus Epiphonematis, qvod religio nostra sit Practica, â prima propositione de moribus afflictorum pergit ad secundam, de moribus erga afflictos, atqve ut vanam vocaverat religionem, qvæ nulla se praxi morum emendatorum exerit, ita nunc, qva potissimum se exerere debeat vera religio morum emendatione, ostendit.

Pura & impolluta, nempe ab adhærentibus vitiis. Ita enim vult Deus coli, ne tantum ipsi directe exhibeatur honor, sed & pariter erga proximum sese exerat vera

charitas & in omnibus aliis actionibus observetur cura obsequii, qvod Deo præstamus. Puritas autem & impollutio non intelligitur absolute perfecta sed pro conditione hominum renatorum in hac vita. *Deo & Patri.* Utramqve vocem possumus in sensu essentiali accipere. Etsi enim directo Patris nomen personale est, cum nomen Filii Dei apponitur, ubi tamen simpliciter nomen Dei & Patris occurrit, omnes tres divinas personas includit. Dicitur enim distincte, & Dei & patris, ut duplex inde colligatur vinculum obligationis nostræ, alterum commune creationis, alterum speciale regenerationis atqve adoptionis nostræ. *Visitare.* Visitatio illa in casu recto qvidem non est ipsa religio, sed per Metonymiam hæc phrasis explicanda est, qvod puritas religionis in hoc adjuncto consistat, si nempe cum religione Dei jungatur hæc visitatio, & ex religione procedat. *Orphanos & Viduas.* Illi præcipuum amoris & beneficii nostri objectum esse debent. Ita Christus cum Joh. XIII. 35. characterem verorum discipulorum posuisset in amore mutuo vel fraterno, I. Joh. III. 17. id applicatur speciatim ad fratrem opis egenum, ut â promptitudine illi succurrendi æstimetur amor DEI. Jam vero viduæ & orphani sunt, qvi ope & consilio & præsidio imprimis opus habent; unde ab officio qvod illis impenditur generaliter omnis amor proximi, & ab amore proximi amor & religio Dei æstimatur. *Immaculatum se ipsum præstare.* Officia, qvæ religionem DEI seqvuntur, sive actus religionis imperati sunt, circa duo præcipua objecta occupantur: circa nos, & circa alios. Uti de officio erga alios monuit commate præcedente, ita de officio, quod nobis ipsis debemus, monet hoc commate, ne nos aliqva prava cupiditate, luxuria, libi-

dine

dine &c. maculemus. *A mundo*, i. e. moribus mundi, qvæ significatio nota est.

CAP. II. v. 1.

Ne habete. Hic primum membrum incipit propositionis secundæ, ne qvis despiciat tenuem ac humilem fratrem. *Prosopolepsia* est deflectio â communi regula justitiæ, ob singularem personæ favorem atqve reverentiam, qva nempe non qvid, sed cui præstandum est, potissimum respicitur. Itaqve jubet, ne pecuniosos ac potentes majoris æstimemus inter fidei fratres qvam tenues, egenos & humiles. *Fidem*, i. e. nolite fidem hominum, qva credunt in Christum, spernere, cum tenues sunt, & extollere, cum magnates sunt, qvia omnis sexus & status apud DEUM idem habentur, juxt. Gal III. 26. A fidei enim gradu & documentis datis, non â fortunis hujus mundi æstimandi sunt Christiani. *Fidem Domini*, i. e. in Dominum. *Christus gloriæ*, per Hebraismum, pro, Christus glorioſus. Addit hoc Epitheton Apostolus, ut doceat, veram cuiqve Christiano gloriam â Christo, non â fortunis esse, atqve id supra omnem aliam dignitatem ac prærogativam esse, qvod simus servi Domini tam glorioſi.

v. 2. *Si enim.* Proponit casum, unde innotescat, qvid sit prosopolepsia, â qva dehortatus est, v 1 qvæqve ejus turpitudo. *Synagogæ.* Non leguntur alias communiter Christiani hac voce usi esse, cum de conventibus fidelium agunt, ideo procul dubio, qvod se voluerint distinguere â Judæis, qvorum jam id proprium nomen erat, cum de conventibus suis sacris loqvebantur; nihilominus & hic & apud alios veteres nonnunqvam occurrit,

qvia neqve superstitiosi fuerunt in evitanda illa. Patet autem inde, qvod ex Synagogis Judaicis synaxes & Ecclesiæ Christianorum formatæ sint. *Vir aureis annulis.* Erat illud signum Eqvestris dignitatis apud Romanos, neqve licebat aureis annulis uti, nisi iis, qvi saltim censu eqvestri pollebant, uti docet Svetonius in Julio Cæsare, & peculiaris privilegii res erat, etiam seqventibus temporibus, si cui jus aureorum annulorum daretur ab Imperatoribus, de qvo hodieqve titulus exstat in Codice Justinianeo. *In veste splendida*, honoris & divitiarum indicio. Vestes enim albicantes præcipue habebantur delicatæ & magnificæ.

v. 3 *Tu sede, tu sta*, i.e. si pauperi sedile denegetur, quod conceditur diviti & illustri, aut si isti locus abjectus ad scabellum pedum assignetur, alteri vero inter presbyteros locus, qvippe qvi sedebant in eminentiore loco quam reliqui.

v. 4. *An non discerneretis*, seu discrimen faceretis inter utrumqve. *Conclusionum malarum.* Patet hinc, in primitiva Ecclesia nullam habitam esse rationem dignitatis secularis in ipso conventu sacro, sed sine discrimine istic fideles omnes pro fratribus esse acceptos. Sic etiam, ut servi qui erant vel ancillæ, ad dignitates & officia Ecclesiæ fuerint promotæ, si charismatibus idoneis supra alios pollebant; qvemadmodum & Plinius in Epistola ad Trajanum scribit, se ancillas duas quæstioni subjecisse, qvæ inter Christianos fuerunt Diaconæ. Etsi autem hæc disciplina veterum magnopere laudanda est, ad dignitatem fidei ac communem societatem Christianismi commendandam apprime pertinet, postquam tamen omnis populus factus est Christianus, ut desiit oppositio, defer-

buit

buit etiam charitas, ut paulatim, & in communibus sacris & Ecclesiæ confessu dignitatis Politicæ haberetur ratio. Qvæ res, post qvam usu communi recepta est, neque commode amplius potest immutari, minus nunc quam olim scandali habet, ideoqve, ut alii nævi plures, tolerari debet, præsertim cum ex tentata immutatione plura incommoda timeri possint; quisque interim cavere debet, ne illa dignioris loci occupatio in Ecclesiis in contemptu tali fratris tenuioris fiat, qvalem hic arguit Apostolus.

v. 5. *Audite fratres.* Rationem subjungit, quæ debeat docere, male fieri, si pauper in Ecclesia contemnatur. *Elegit.* De electione hic loqvitur, ex præsente statu fidei æstimanda, I Cor. I. v. 27, 28. Nam aliunde non poterat judicium fieri, quis electus esset ad vitam vel minus, cum de fide finali, apud Deum probata, uniuscujusqve credentis hominibus pârum constat. Et ita Petrus I. Epist. I. v. 1. & aliquoties Paulus discipulos suos ut electos Dei alloquitur, pia nempe præsumptione persuasus, fore ut ad finem usque vitæ fidem servent illibatam.

Pauperes hujus mundi, i. e. facultatibns illis destitutos, quæ divitem in hoc mundo denominant, & sic illos opponit *divitibus in fide*, quos exprimit sequente commate, & quia fidei & gratiæ divinæ major felicitas est quam opum terrenarum, ideoque pariter innuit, quod ex illa potius quam ex his hominem oporteat æstimare. Sensus autem est, plures ex iis, qui tenuioris conditionis sunt, ad fidem conversos esse, quam ex opulentioribus & illustrioribus.

Divites in fide. Hæ divitiæ in signo rationis præcedunt electionem, quia vocatio universalis est. Electio

autem discrimen facit, quod discrimen â fide petitur. *Hæredes*, nempe futuros ob fidem. Vox illa ex Hebraismo in N. T. frequenti explicanda est, qua hæres dicitur, qui perpetuo (quasi ad hæredes transmissibili) jure quid possidet. Nam ita non sumus hæredes, ut in defuncti locum succedamus. Potest etiam vox ex jure Romano explicari, ubi filius familias hæres suus dicitur, quasi sibi ipsi hæres, quia etiam vivente Patre quodammodo Dominus bonorum est. *Diligentibus illum.* Id consequenter dicitur ad annunciationem Evangelii. Non enim illis primum prædicatur, qui jam ante Deum diligunt, quippe cujus prædicatio conjuncta est cum prædicatione pœnitentiæ, sed ut diligerent Patrem & Christum, quem fide receperant.

v. 6. *Vos vero.* Pertinet hoc primum comma hujus versus ad versum præcedentem, tanquam apodosis ad protasin, quod cum Deus præcipue in honore habeat pauperes, illi tamen eos spernant, in hypothesi scil. postpositionis in Ecclesia, aut quâvis alia, quam timebat. *Nonne divites.* Hic vero divellendus erat versus, quia novum argumentum incipit, quo docet, quod ob opulentiam & dignitatem hujus mundi in fraternitate Ecclesiastica nemo sit præferendus, nempe quod illi, â quibus Christiani maxima mala patiuntur, pecuniosissimi & opulentissimi sunt. Unde adeo absurdum est, ejus defectum in fratre pro argumento habere contemptus, quod aliis instrumentum est & causa, omne nomen Christianorum persequendi. Loquitur hic de divitibus gentilium, ut patet etiam ex v. 7. *Dominantur.* Vox illa non quidem perpetuo significat injustum dominatum, h. l. tamen & sæpe alibi denotat dominatum, qui est cum oppressione.

Nam

Nam cives & privati erant, qvi fideles ad tribunalia rapiebant, ut patet passim ex Actis. *Ad tribunalia.* Ut variis falsisqve accusationibus vos pessundent, odiumqve Magistratus in vos concitent. Illa enim erat veterum judiciorum forma, ut & â privatis inviti raperentur in jus.

v. 7. *Bonum nomen.* Intellige Jesu Christi, qvod ferre neqvibant Judæi infideles. *Qvod invocatur super vos*, i. e. â qvo vobis benedictionem precamur.

v. 8. *Si quidem legem.* Novum illud argumentum est, ne despiciantur pauperes, qvod nempe ex lege divina omnis proximus sit diligendus. *Impletis.* Implere legem ex phrasi scripturæ non significat præcise perfectam sanctitatem præstare secundum summum gradum, sed simpliciter facere, quæ lex imperat, & pro subjecto argumento aut personæ conditione explicandum est, vel de perfectione omnibus numeris perfecta, vel qvalicunqve. Ideoqve nec hic Apostolus præsupponit infidelibus omnimodam perfectionem, cum supponit, illos legem amoris implere & sic recte agere posse. *Regiam.* Ita vocat, qvia maxima & præcipua est, secundum verba Christi, Matth. XXII. vers. 36. 39. & reliqva omnia erga homines officia complectitur, Rom. XIII. 8. seq. ad qvæ loca respicit forte Jacobus, cum addit: secundum scripturam.

v. 9. *Si vero prosopolepsiam facitis.* Uti sine discrimine omnem proximum diligere jubet lex, ita legi adversus est, qvi discrimen facit, & alium qvidem ut fratrem & socium amat, alium vero contemnit. Eqvidem generalis omnium amor patitur discrimen inter eos, qvi amore magis vel minus digni sunt, ob virtutem suam, aut officium & benemerita, vel magis debent â nobis amari ob sanguinis conjunctionem, fœdus aut societatem peculiarem

rem, in qvibus præter amorem, qvo digni sunt ut homines & proximi, peculiaris alia amoris ratio est, vel curæ nostræ. Verum prosopolepsia dicitur, qvæ discrimen facit sine justa causa; aut ab amore generali, ejusqve effectu excludit aliqvos, qvi includi debebant. Ita societas fidei communis causa est, qvæ in Ecclesia attendi debet, qvæ non permittit, ut qvi pauperiores sunt & tenuioris conditionis, qvasi indigniores contemnantur. *Ut transgressores*, nempe crassi, qvales non debebant esse Christiani, qvippe qvos oportuit ad legem attendere, juxta v. 8. Omnes sumus qvidem transgressores in statu etiam regenito, dum legi secundum rigorem non satisfacimus, sed ut suo etiam modo Christiani vere implent legem, ita transgressores sunt κατ ἕξοχὴν, qvi officium veri Christiani non observant. Alioqvin si id tantum objecisset Jacobus, qvod de omnibus verum est necessario, nihil hoc argumento profeciisset Apostolus adversus eos, qvos notabat.

v. 10. *Totam legem servet*, nempe secundum omnem latitudinem objecti, etsi non secundum perfectionem summi gradus, de qva hoc loco non agit Jacobus, qvia id argumentum fuisset ad scopum inutile. *In uno*, nempe genere dilecti. *Factus est omnium reus.* Lex divina moralis & ratione principii & ratione rerum arctissime cohæret, ita ut si probitas nostra procedat ex vero fundamento, nempe amore Dei & proximi, necessario ad omnia argumenta & officii nostri partes æqvali studio procedit, qvod si vero in alias partes pronior fueris, ab aliis alienior, oportet ut alia peculiari causa magis movearis ad officium faciendum in iis, qvæ recte facis, qvæ nempe his officii partibus propria causa est, quam à principio illo generali, amore Dei & proximi. Unde rectè facere non potest, nisi

nisi æqvale fuerit ad omnes partes studium. Et sic neqve vera virtus est illarum, qvas facis, officii partium, etsi talis videtur; v. g. qvi castus est, & homicida tamen, non castus est vera virtute castitatis, qvæ fluit ab amore Dei & â fide conjugali, alioqvin enim & humanus esset, amoremqve Dei & fidem, qvam debet proximo, etiam in ea re servaret, ne cui vitam adimeret aut corpus læderet, sed omnis ea castitas referenda potius est ad Phantasiam amoris totam in conjugem occupatam, aut peccandi vires, aut peccandi occasiones oblatas, vel in qvamvis aliam causam. 2. Solent etiam Theologi ex phrasibus scripturæ & natura rei docere, qvomodo in uno peccato semper admittantur plura, uti notum est ab exaggeratione primi peccati Adamitici. v. g. percussor sive homicida formaliter non est adulter, cupiditati tamen suæ frena laxat, & jura societatis violat, qvod utrumqve principium etiam deducit ad adulteria.

v. 11. *Qui enim dixit.* Petit Apostolus argumentum propositionis suæ â communi principio omnis virtutis. Neqve enim illum cura legislatoris Dei tangit, qvi vel in una re legem lædit.

v. 12. *Legem libertatis*, i. e. legem amoris, dum non illi subsumus ut cogenti, qvemadmodum servi, sed, ut filii, spontaneo motu & amore Dei ducimur ad faciendum, qvod Patri cœlesti placet; qvi est usus legis pædeuticus in statu N. T. Ubi enim Spiritus Domini agens ad bona opera, ibi vera libertas est, juxta I. Cor. III. 17. Conf. Rom. III. v. 11. Gal. II. 7.

Volentes judicare. Non qvod futurum sit judicium nostrum secundum legem, sed qvod filios Dei, qvi sponte moventur per Spiritum S. ad obediendum Patri tam benigno,

nigno, ita se gerere debeant, qvasi ex lege essent dijudicandi, i. e. studere, ut qvam exactissimam præstent obedientiam, ad qvam adspirare posset, qvi cuperet legis condemnationem effugere. Atqve ita appositè legi addit Epitheton, qvo d etsi illa nos jugo servitutis non premat, ita tamen observare eam oporteat, qvasi premeret.

v. 13. *Judicium enim.* Nempe divinum, qvod subeundum est omnibus irregeniis, futurum est tale. Etsi enim renati non judicantur ex lege, qvamdiu sunt & manent in statu gratiæ, tamen petulantia & peccatis facere possunt, ut inde extrudantur. Unde cuiqve opera adhibenda est, ut maneat in fide, fidemqve suam bonis fructibus confirmet, ne scil. veniat in judicium. Joh. III. 17. 18. *Judicium immisericors*, i.e. exactum & rigorosum, ubi nihil condonatur. Non enim est hoc loco vitii nomen, qvasi contra æqvitatem futurum, sed indebitam tantum gratiam excludit, ut facile patet ex natura Dei, qui non potest inique judicare. *Non facienti misericordiam*, i. e. non tantum ei, qui illa, quæ determinate debet, non præstat, quod est non facere justitiam secundum phrasin Hebræorum, sed & qui præstat, & tantum ea, qvæ indeterminata lege sunt, sed generali amoris obligationi subjecta, omittit, id est, qui verbi gratia etsi solvit, quod debet præcisè secundum determinationem legis, v. g. in Vet. Testamento primitias, decimas, spicilegia, aut quod mutuo acceperat, aut pro qvo æqvivalens habet, tamen benignitatem non exercet, ut egenis & afflictis etiam ultra primitiarum, & decimarum determinationem subvenire negligat. Ita enim Christus Matth. XXII. 23. τὴν κρίσιν, καὶ τὸν ἔλεον distinguit, & distinguunt Judæi v. g. ut Majmonides in Nebochim, part. III. c. 53. id vero hoc loco

loco monet Apostolus, non qvod putet meræ misericordiæ rationem esse, si pauperi Christiano in Synagoga seu Ecclesia locus æqvalis detur cum divite, qvia prosopolepsiam esse dicit, qvæ fit contra jus unius cujusqve determinatum, sed ut qvasi â minore ad majus argumentum formet, si & ille experturus est judicium immisericors, qvi tantum misericordiam non præstat, qvanto magis experturus est, qvi etiam prosopolepsiam admittit & contra justitiam stricte dictam facit. *Et gloriatur misericordiæ.* Hæc non dicuntur per oppositionem relativam, qvasi sicut immisericordia causa est immisericordis judicii divini, ita misericordia causa sit ejus evitati. Nam si ille sensus esset, quem volunt Pontificii, quique nostræ fidei non est analogus, oporteret verba cohærere per adversativam particulam, δὲ, neqve plane novum est argumentum ad propositionem principalem de cavenda prosopolepsia & contemptu pauperum, quia nec sic posset commode copula καὶ locum habere, sed pertinet hoc comma ad confirmationem prioris argumenti eo sensu, qvod nostra tamen interfit frui misericordia divina, qvodqve ea sola faciat, ne in judicium veniamus. Posset enim obvertere qvis fiducia qvadam sui elatus, se neqve judicium rigorosum vereri vel securitate obrutus putare, se satis tutum esse â judicio Dei, eo qvod credat, adeoqve ut credens non judicetur; ideoqve ad evitandas tales objectiones addit, nos etsi non venimus in judicium, soli tamen misericordiæ divinæ id debere, ne veniamus, quod si vero venerimus, uti neglectione misericordiæ etiam possumus in eum statum pervenire, fore, ut ei sustinendo non simus pares.

v. 14. *Qvæ utilitas.* Occurrit hic objectioni, qvæ formari poterat, & ita prona est, ut expectari debuerit,

nempe quod non judicemur secundum legem, adeoqve sufficiat nobis fides, utut charitatis opera, qvæ lex exigit, non ostendat. *Dixerit qvis*, nempe per objectionem Apostolo factam. *Opera vero*, nempe legi, de qva locutus est, conformia. *Fides*, ἡ πίστις, cum articulo determinate significat eam fidem, quam habet, qui tale quid objicit, quæ quia mortua est, in se ipsa juxta ea, qvæ seqvuntur, salvare hominem neqvit.

v. 15. *Si vero*, In interrogatione versus præcedent. erat virtualis negatio, qvod omnino non possit fides talis salvare; id ut probet Apostolus, simile aliqvod proponit, unde rei veritas innotescat. *Qvotidiani victus*. Addit hoc Epitheton, ut intelligatur sermo esse de homine extreme egeno, cui præsens auxilium sit necessarium.

v. 16. *Abi in pace*. Tali voto hodie communiter solent remitti homines mendici, cum nihil illis datur, qvod votum certe, si tibi suppetat, unde ipsi eroges, illusorium est, non serium est, at h. l. neqve votum, sed mera verba ludentia videtur intelligere Apostolus, qvibus jubentur egeni frui adversus nuditatem & famem præsidio, qvod non datur, qvasi daretur tamen *Qvid prodesset*, id est qvid juvarent hominem verba sine re? Nulla illa esset charitas, nulla beneficentia, nulla virtus, sed mera simulatio & lusus, & ita fides v. seq qvæ objicitur, sed effectus fidei proprios non habet, nulla fides est, sed mera simulatio, fides oris, fides jactata, sed fides animo non concepta.

v. 17. *Si opera non habuerit*, scil. ut comites & effectus ex se profluentes.

Mortua est secundum se ipsam, i. e. non qvoad effectus tantum virtutem & efficaciam, sed qvoad ipsam formam & na-

& naturam ſuam extincta. Ita poteſt qvandoqve arbor qvidem circa extremitates ſuas marceſcere, ut & folia & fructus decidant, vel ob inclementiam aeris non protrudantur omnino, ſed ſic nondum eſt extincta ſecundum ſe ipſam, ſed tunc demum, cum omnis ejus vis ex ipſa radice perit. Vult itaqve Apoſtolus formalem fidei vitam nullam eſſe poſſe, niſi cum effectus etiam bonorum operum protrudit. Ut autem diſtinctius intelligatur, qvid interſit inter fidem vivam & mortuam, exemplum capiamus a diſtinctione inter voluntatem ſimplicis complacentiæ, & voluntatem efficacem, vel magis inter ſecuritatem & fortitudinem. Simplicis complacentiæ voluntas ad bonum ſæpe eſt in hominibus neqvam, adeoqve mortua tantum voluntas & ſecuritas in animis pavidis non intelligentibus periculum ſuum, & ſic etiam fides mortua, ſimplici approbatione eorum, qvæ revelata ſunt, & ſecuritate æternæ ſalutis definita, mortua eſt revera & caret vita illa fiduciali, qva erigere ſe homo debebat, adverſus conſcientiam peccati & demeriti ſui, & nullis animum motibus excitat, cum vera fides, qvaſi ſpecies qvædam gaudii ſpiritualis ob certitudinem gratiæ divinæ in Chriſto partæ, in applicando ſibi ejus merito animumqve confirmando operoſa ſit. Id igitur vult dicere Apoſtolus, fidem, qvæ non vivit vita effectiva, qva operoſa eſt ad charitatis officia, neqve vivere vita formali, qva apprehendit Chriſtum, atqve adeo eſſe meram umbram & merum luſum.

v. 18. *Sed.* Vocula illa non eſt h. l. adverſativa, qva contrarium ejus dicatur, qvod dictum eſt, ſed correctiva, per intenſionem ſenſus. ut Latine, verti poſſit *imò*, i. e. non tantum mortua eſt talis fides, ſed & provocationi

obnoxia, ut ostendatur ipsa re, qvod verbis jactatur. Si vero adversative eam velis explicare, oportet, ut fidei infrugiferæ & mortuæ in his verbis opponatur fides viva, ex operibus ostendenda. *Tu fidem habes*, pro ut scil. refers atqve ore jactas. *Opera habeo*, nempe fidei convenientia. *Demonstra mihi fidem*; sicut enim vita arboris agnoscitur ex foliis & fructibus, ita ex operibus agnosci debet fides, de qva hactenus dubitatur, num sit in tali provocato. *Demonstrabo ex operibus*, nempe jam tum cognitis, sicut dictum erat: ego opera habeo. Sensus est: fides ubi adest, non potest, qvin producat opera bona, & opera bona ubi adsunt, non possunt nisi provenire ex fide. Itaqve reciproca est argumentatio: fidem habes, ergo opera oportet habere. Opera habes, (scil. bona) ergo fidem oportet habere, Conf. Matth. VII. 16. seqv.

v. 19. *Qvod Deus unus est.* Primus hic articulus fidei est, ut credas Deum esse, juxta Ep. Ebr. XI. 6. Primus articulus, qvo se Judæi distingvebant â gentilibus, erat de unitate Dei, juxt. Joh. XVII. 3. & celebre dictum Deut. VI. qvod Judæi qvotidie recitant. Hunc articulum hic adducit Apostolus, qvia Judæi eo se præcipue efferrebant & ipse Judæis generaliter inscripserat Epistolam, etsi præcipue Christianis inter Judæos, ut in prologomenis dictum est. *Et diaboli credunt.* Docet igitur. talem fidem generalem nec dum reddere hominem diabolis meliorem, neqve esse illam vivam & salutiferam. *Et horrent.* Fides igitur vera debet esse fiducialis, qvia horror illi opponitur, & qvidem contrarie, ita ut dicat, non tantum non moveri inde diabolos ad fiduciam, sed & moveri ad horrorem, horror autem Dei odium ejus infert, sicut fiducia amorem excitat.

v. 20.

v. 20. *Vis vero nosse.* Præparat lectores ad argumentum, quo probaturus est, quod hactenus dixerat, eam demum veram fidem esse, unde profluunt bona opera. *Homovacue*, nempe gratia divina & fide vácue, quam præter rem jactas, dum prætensione fidei ab omni legis observatione te cupis subducere. *Sine operibus.* Syncatecorema hoc ad subjectum pertinet, non ad prædicatum, i. e. fides, quæ operibus comitibus destituitur. Non enim per opera ipsa vivit fides, aut per eorum absentiam mortua est formaliter, sed formalis ejus vita consistit in motibus animi fiducialibus, qui absunt, ubicunque opera tanquam signum & fructus absunt.

v. 21. Ἐδικαιώθη. Justificatus est. δικαῦν apud Græcos in usu sacro sæpissime significat, justitiam comprobare, apologiam edere, docere veritatem rei, respondens hebræo verbo צדק in Kal, Piel & Hitpael. Ita apud LXX. interpretes Gen. XLIV. 16. Es. XLIII. 9. 26. Ezech. XVI. 50. Ita etiam in N. T. Luc. X. 29. c. XVI. 15. 1. Tim. III. 16. & in sensu laudandi Luc. VII. 29. Quanquam enim Paulus in Epistolis ad Rom. & Gal. hoc verbo utatur in sensu absolutionis ap. Deum & receptionis in gratiam, quo sensu & paucis aliis scripturæ locis occurrit, non restringitur tamen in usu sacro ad solum officium judicis absolventis, multo minus ad judicium DEI absolventis, ut illa possit significatio famosior in S. literis appellari, uti nunc est famosior in scholis Theolog. sed indifferenter, tum de actione rei pro se dicentis, tum de approbatione populi dicitur. Hinc patet, male Jacobum intelligi, cum eo sensu intelligitur, qvo oporteret eum contradicere Paulo

lo, sed potius Paulus ad Rom. IV. 2. cum negat Abrahamum ex operibus justificatum esse, limitationem addit, *qvod apud Deum* non sit justificatus ex operibus. Sensus itaqve Jacobi est, Abrahamum ex operibus fuisse probatum & justum, sicut I. Tim. III. v. 16. de Christo dicitur, qvod manifestatus in carne, justificatus (i e. approbatus & agnitus sit revera esse, qvem se dixerat) in spiritu, sive virtute divina, qvam exercuit. *Cum offerret*; ita Gen. XXII. 12. ipse Deus pronuntiat. *Nunc scio, qvod Deum timeas*, i. e. hoc documento evidenter probasti pietatem tuam.

v. 22. *Cooperata sit operibus.* Duplex potest esse horum verborum sensus, prior, qvod ad opera Abrahami accesserit fides, & illa juverit, alter, qvod fides non tantum operata sit actus sibi formales, i. e. fiduciales, sed & qvod simul operata sit operibus externis. In priore sensu, oportet adjutorium fidei tale intelligere, ut correxerit opera & ex malis vel indifferentibus alias futuris fecerit bona. Posterior sensus magis videtur scopo & textui convenire, qvo nempe juxta versum 17 docere vult Apostolus, fidem non esse veram & vivam, nisi ad utrumqve prosit, ad motus formales & effectivos. Uterqve tamen sensus infert, fidem vivam ad bona opera prodesse. *Perfecta redditur.* Τελειοῦσθαι significat finem & terminum suum assequi, ut Luc. XIII. 32. Joh. XIX. 28. seq. Ebr. II. 10. Cap. V. 9. C. XI. v. ultimo &c. Atqve ita fides ex operibus finem suum assequitur, ut absolvat id omne, ad qvod data est, data enim est non tantum, ut gratiam Dei sibi applicet & acceptet, sed & ut fructibus bonorum operum abundet, qvi finis cum sit natura posterior priore, etiam in eo complementum fidei ponitur. Uti vero locis citatis neqve Christus neqve Scriptura Sacra dicuntur internam qvandam per-

perfectionem virtutis aut essentiæ nacti esse per ea, unde istic dicuntur πλειῶσθαι: ita neqve fides hoc loco ex operibus internam perfectionem essentiæ aut virtutis obtinere dicitur.

v. 23. *Et impleta est.* Referenda hæc sunt ad vocem v. 22. βλέπεις, *vides*, quod nempe ex illo facto Abrahami, filio non parcentis propter Deum, pateat veritas Scripturæ, qvod Abraham revera crediderit, fideiqve suæ apud Deum eum obtinuerit effectum, ut amicus Dei esset; patuit enim inde omnibus, quam certus esset de gratia divina Abrahamus, qvidqve illa certitudo in ipso operetur. *Et amicus Dei vocatus est.* Hoc ipsi Epitheton datur II Paral. XX. 7. Es. XLI. 8.

v. 24. *Videtis igitur.* Progreditur argumentatione ab hypothesi ad thesin, sicut & in alia causa fecit Paulus, ad Rom. IV. *Justificatur*, i. e. laudatur & probatur, juxta ea, qvæ diximus v. 21.

v. 25. *Cum suscideret angelos*, i. e. nuncios & exploratores Israelitarum. Ita enim sensu apud Græcos vulgato vox h. l. sumitur, non specialiori altero, qui in sacris alias frequens est. Historia nota ex Jos. C. II. Certe Rahab, qva fide fuerit erga Deum, non patuisset, nisi illustri hoc facto juvasset causam Israelitarum; adeoqve ex illo demum probata & dilaudata est in S. Scriptura.

v. 26. *Sicut enim.* Non respicit hæc vox paritatem principii vitalis in assimilato, sed paritatem tantum necessariæ combinationis & consequentiæ; nam fides in animo est, opera sunt ab animo, ideoque fieri nequit, ut fides animetur ab operibus, sed opera potius animantur â fide; neqve enim opera interna sed externa Apostolus intelligit, qvæ in sensus incurrunt, juxta v. 18, 21. 22. 25.

Sine spiritu. Malumus intelligere animam, die Seele/ secundum significationem vocis famosiorem, quam respirationem, qui sensus pluribus Theologis placet, neque enim quicquam periculi est, cum famosiorem significationem sequimur. Sed reciproca quædam est illatio, quod sicut corpus humanum non vivit sine anima, ita contra fides tanquam anima bonorum operum, non vivit sine corpore bonorum operum, i. e. nisi bona opera secum trahat.

CAP. III. v. 1.

Non multi doctores. Incipit hic secunda propositio, de moribus opulentiorum, ne quem magistrali autoritate judicent, & quia adversa fortuna tunc temporis Christianis obveniebat præcipuè â Judæis, legis Mosaicæ & autoritatis Rabbanicæ Zelotis, qui ferre non poterant, ut Judæi fratres, qui fidem Christi amplecterentur, conversarentur cum Gentilibus, necessitatem circumcisionis & Ceremoniarum Leviticarum desisse dicerent, & Rabbinos erroris accusarent, atq; inter ipsos Christianos Judæos hæc quæstio multum dubii, zeli & contentionis moveret, ut patet Act. XV. v. 1. Cap. XXI. 20. & ad Gal. II. 12. hinc probabile erat, fore, ut illi, qui religiosiores legis esse videbantur, minus turbæ atque molestiæ experti, aliis propterea in exilium pulsis & male multatis â tumultuantibus Judæis incredulis mores suos exprobrarent atq; hi contra cum illis de rigore legis abolendæ contentionem moverint. Hinc monitum Jacobi, ut & â factionibus desisterent & â Magistrali judicio, quo alter in alterum insurgat. *Didascali* h. l. dicuntur eo sensu, quo Matth. XXIII. 7. Rabbi, Patres & κατηχέται, nempe qui cum autori-

toritate docent & discipulos â suis opinionibus simpliciter suspendunt, atque inde factiones formant, ut apud Judæos schola Hillelis, schola Schamai; & sic *multis doctoribus* in initio hujus propositionis, opponitur in conclusione hujus membri Cap. IV. v. 12. *unus legislator*. Idem igitur est ac si dixisset: nolite temerariis judiciis in factiones descendere. *Majus judicium*, nempe juxta Luc. VI. 37. quod nempe qui temerarius est in damnando alienam sententiam, ipsemet rigorem judicii divini in se attrahat.

v. 2. *Multa enim labimur*. Ratio redditur dehortationis â factiosa criminatione & correptione alterius, quod nemo sit, qui non multum peccet sermone, nemoque sibi tam accuratum de rebus judicium possit promittere, quin sæpe affectu proripiatur ad plus vel minus dicendum, quam par erat, nemoque in ipsa praxi etiam agniti â se officii ab errore & culpa immunis sit. *Perfectus est*, nempe perfectione in rigore sumpta, quo sensu nemo perfectus est, quia omnes labimur; atque hoc supponit in hoc argumento, neminem dari absolute perfectum.

Potens frena ducere, vel regere; non quod proprie lingua sit gubernaculum totius corporis humani, sed quod ut recte difficillima arguat animum perfectum, si sine omni lapsu regatur, ut recte possit concludere, quod qui linguam regere novit, se totum regere novit; nam ex abundantia cordis lingua loquitur. Accedit, quod homo actiones suas instituat communiter secundum sermones, quibus delectatur.

v. 3. 4. *Ecce*. Occasionem sibi sumit Apostolus â Metaphoricâ voce v. præcedentis, ut ab exemplo equorum & navium doceat, quantum lingua possit in regendo corpore humano. Veruntamen virtutem linguæ non com-

parat hic in ordine ad bonas actiones, sed ordine ad malas, quam nempe facile inde vita corrumpatur universa.

v. 5. *Μεγαλαυχεῖ, ingenti modo se effert;* id ipsi in vitio ponitur, quod ingentia mala excitare audeat, â quibus liberabitur homo & recte se geret, si linguam compescet. *Parvus ignis.* Alia comparatio est hæc linguæ nocentis cum igne nocente, ideoq; debebat hic novus versus incipere, cujus sectio h. l. male sensum divellit.

v. 6. *Et lingua est ignis.* His verbis fit applicatio ad propositum simile, dum nempe primum termini comparati evolvuntur, deinceps succedit ipsa comparatorum analogia. *Mundus injustitiæ.* Per Ellipsin, pro mundus est mundus injustitiæ, seu sylva injustitiæ, sicut vertit Syrus, mundus injustitiæ est sicut sylva, seu rami. Quæ explicatio melior est ad evolvendam comparationem præsentem, qvam communior altera, quo ipsa lingua vel mundus, vel (alia Græcæ vocis significatione) ornatus injustitiæ appellari creditur. *Maculans.* Sicut ignis, quod non comburit penitus, atro tamen furno & externa adustione maculat, & ita lingua prava maculat certe totum hominem, etsi non absumit. *Inflammat rotam nativitatis vestræ.* Est rota naturæ, i. e. cursus vitæ naturalis & motus actionum naturalium, quos solent Hebræi alias etiam tali metaphora appellare, flamma autem accedens motum illum turbat & præcipitat, & sic lingua, cum illi indulgetur, præcipitat hominem in qvasvis actiones malas, & naturales hominis vires, jam tum corruptas, ulterius corrumpit. *Inflammata à Gehenna.* Duplici sensu possunt hæc verba accipi, vel in sensu causæ efficientis, quod nempe ignis infernalis, i. e concupiscentia prava, â Diabolo in homine excitata, inflammet linguam atque ex-

excitet ad eam proterviam, qua omnibus actionibus humanis nocet, vel in sensu pœnæ imminentis, quod nempe, qvi tanta mala egit, lingua & ipsa inde ardeat igne infernali, sicut qveritur Epulo, Luc. XVI. v. 24. *Gehenna* per Metaphoram denotat locum tormentorum æternorum alioqvin, proprie est vallis Hinnon, ubi idolo Moloch cremabantur infantes, II. Corinth. II. 3. Jer. III. 21. Cap. XXXII. 25.

v. 7. *Natura humana*; qvæ ut præstantior ob concessum rationis usum, ita feritatem omnium animalium brutorum, cujuscunqve generis fuerint, superat atq; cohibet.

v. 8. *Nemo hominum.* Se ipsum non superat homo, sicut superat naturam reliqvorum animantium, & sic neqve lingvam interna pravitate corruptam potest cohibere sua vi, sed altius ad eam rem principium reqviritur, nempe S. Spiritus, divinitus concessus, qvi qvia ad certam tantum mensuram operationis datur nobis in hac vita, non ita corrigit linguam, qvin semper etiam impulsum aliquem â naturæ pravitate experiatur. *Ἀκατάσχετον malum.* Nempe est in casu nominativi, sicut sequitur nominativus alius, plena, scil. est. Dicitur autem irretinibile malum, in sensu jam jam exposito.

v. 9. *Ipsa benedicimus, ipsa maledicimus.* Hic docet, qvomodo recurrat semper etiam illis, qvi Christiani sunt, malum linguæ, dum nempe Deum laudant, & facile tamen ob qvamqve causam in homines ad imaginem Dei factos, in qvibus adeo reverentia debeat ostendi, invehuntur maledicentes; ita supponit, fieri ab iis, qvi opulentiores & fortunatiores cum sunt, in exules & pauperes invehuntur, tanqvam sua culpa infelices, aut nimio rigore & mentis pertinacia in ceremonialium ritu-

um observatione tempori non cedentes: *Ad imaginem Dei factos.* Dum hanc causam adfert turpitudinis, qvæ in conviciis est, qvibus homines onerantur, qvæqve non decet illos, qvi DEUM in Ecclesia laudant, non tantum respicit ad primam hominis creationem sed & ad restaurationem imaginis divinæ fidelibus factam juxta Ephes IV. 24. Col. III, 10. qvia agit de odiis & contemptu fratrum fidelium.

V. 10. *Ex eodem ore.* Ut lingua volubilis est, & ipsa mens humana sibi non constans, ita etiam contraria & ἀσύφωνα profert, modo honorat Deum, modo in imagine ejus, nempe homines, spernit.

V. 11. *An etiam fons.* Communem constantiam & veritatem, qvæ in rebus & natura ipsa est, qvatenus â veritate Dei procedit, opponit contradictoriis conceptibus & conatibus mentis & linguæ humanæ; & stolidam talem repugnantiam involvunt omnia hominum peccata, dum nempe contraria agunt iis principiis, quæ agnoscunt & probant.

V. 12. *An potest ficus oleas* &c. Per internam formam suam qvæq; arbor ad unum sibi conformem effectum determinata est, at homo difformia & contraria seqvitur.

V. 13. *Qvis sapiens.* Uti sapientis est, omnem effugere contradictionem mentis: ita etiam studium bonitatis moralis, qvod ab homine contradictorios conatus removet, sapientiæ nomine in S. Scripturis appellatur & sic hæc sapientia confusioni, qvæ præcedentibus vers. redarguitur, h. l. opponitur. *Bona conversatione.* Hic incipit alterum argumentum, qvo dehortatur Apostolus â Magistrali censura, quod nempe rectius exemplo doceantur,

antur, qvi docendi sunt. Opponitqve hanc conversationem bonam omni injustitiæ, quam eructat lingua male sibi temperans. *In mansvetudine sapientiæ*, i. e. sapiente, mansvetudine per Hebraismum, posito genitivo pro adjectivo. Mansvetudinem autem eam intelligit, qua monendus frater est, ut prosit admonitio erranti, juxta Gal. VI. 1. & tolerandus, qvi fide infirmus, juxta Rom. XIX. 1. ne qvis scil. alteri objiciat & hoc exprobret falsius, qvod sibi vel rigore circa res adiophoras attraxerit importunius, vel indulgentia nimia declinaverit.

v. 14. *Ne gloriemini*, tali Zelo, qvasi bono ad vestram prudentiam cum opprobrio aliorum laudandam. *Aut mentiamini contra veritatem*, ne vel exprobretis alter alteri, qvod falsum in facto, vel abrepti studio contradicendi jus ipsum divinum torqveatis & falsam proferatis doctrinam.

v. 15. *Non est illa*, nempe qvæ ita gloriatur & mentitur. *Terrena*, i. e. in terra seu inter homines pravos enata, qvi corrupto judicio talem æstimant sapientiam. *Animalis*, i. e. qvam anima humana suis viribus (utiqve corruptis) elicit. Conf. I. Cor. II. 14. qvia hæc loca se mutuo illustrant. Opponitur igitur terrenum cœlitus descendenti, & animale ei, qvod Spiritus S. est & â majore principio pendet, qvam est anima hominis. *Dæmoniaca*, nempe & respectu primæ originis, unde malum in naturam humanam introductum, & respectu perpetuæ incitationis, qva homines mali hominibus molesti sunt. Dicit itaqve contentiosam illam male sic visam sapientiam non tantum â Deo non esse, sed nec ab homine solo, sed â pejore etiam principio, qvam est ipsa natura humana procedere.

v. 16.

v. 16. *Ubi enim.* Ratio redditur asserti ab effectu pravo; qvia enim Zelus & contentio omnem perturbationem boni ordinis afferunt & variis peccatis ansam præbent, ideoqve non possunt pro virtutibus divinis haberi, quasi gloria Dei tale litigium posceret; nam Apostoli & Ecclesia DEI talem consvetudinem non habent. I. Cor. XI, 16.

v. 17. *Superna vero.* Opponit pravæ contentioni veram sapientiam cœlestem, & sic Thesin suam porro firmat â natura cœlestis sapientiæ. *Casta est*, i. e. immunis â perturbatione & pravo opere, quæ resultant ex contentione, adeoque effectum talem minime habet, qualem illa. *Deinde pacifica.* Uti immunitatem ejus â pravo fructu pravis fructibus sapientiæ terrenæ opposuit, ita porro verum ejus fructum contensiositati opponit. *Æqua, persuasibilis.* Duo hæc sunt requisita ad servandam pacem, primum ut condones & excuses errores ac delicta aliena, quæ ἐπιείκεια est, neque adeo facile offendaris. Altera, ne errori tuo pertinaciter adhæreas, sed si quid peccasti, paratus sis rectiora doceri & rationibus bonis obsequi, quæ εὐπειθεία est, facitque ne facile offendas. *Plena misericordiæ & fructuum bonorum.* Hoc plus est quam pacificum esse, nempe non tantum nemini molestum esse, sed & benefacere. Ita enim καρποὶ ἀγαθοὶ sunt fructus liberalitatis & beneficentiæ, sicut ipse Paulus distinguit inter justum & bonum, ad Rom. V. 7. *Sine discrimine.* Nempe unicuique benefacias sive humilis & pauper sit, sive dives & nobilis, sive infirmus in fide & in quæstione de ritibus legis Mosaicis adiaphoris dissidens vel minus. *Sine hypocrisi.* Uti altera vox ad objectum, ita hæc ad principium beneficentiæ, nempe ipsum animum refertur, ut ex

vero

vero amore fiat beneficium, non ex quavis alia causa & intentione.

v. 18. *Fructus vero justitiæ*, i. e. hujus officii, quod ex lege divina debemus proximo. Fructus ille procul dubio intelligitur merces & gratia, quæ obtinget homini in vita æterna, & dicitur *seminari*, cum id agitur, unde fructus ille tanquam ex semine prognatus expectari queat, sicut alibi tali Metaphora â semine utitur Paulus, II. Cor. IX. v. 6, 9. 10. Quanquam enim salus æterna non obtinetur per opera bona, compensat tamen Deus in vita æterna, quæ ejus causa fecimus in hac vita. *Facientibus pacem*, i. e. procurantibus & persequentibus pacem.

CAP. IV. v. 1.

Unde bella & pugnæ. Opponit nunc quæstionem de origine inimicitiarum origini pacis, quam v. 17. C. III. â sapientia cœlesti derivaverat. *Inter vos.* Repetendum hic est, quod ab initio hujus Epistolæ diximus, inscribi eam non præcise Christianis seu fidelibus, sed in genere omnibus Judæis per terrarum orbem dispersis, eo consilio, ut fideles â fratribus infidelibus adversa passos erigeret solatio, bonisque monitis instrueret, infideles autem ambigue nutantes semi-Christianos dehortaretur â pravis moribus adversus eos, qui propter Christum mala patiuntur, ideoque inter Judæos pugnas & bella esse dicit, cum alter alterum propter fidem persequitur. *Pugnantibus.* Voluptas hominum ut varia est, ita circa oppositas sæpe versatur, ut altera contra alteram, v. g. avaritia contra superbiam vestitus &c. pugnet. Deinde ipsa etiam voluptas, cum vehementi concupiscentia accenditur, hominem reddit inquietum & sic membra etiam ciet

ad omnis generis pugnas & contentiones. Imo non militarent membra hominis, brachia, manus, facies,&c. adversus proximum, nisi voluptas malæ concupiscentiæ illa armaret ac moveret, unde illa potius dicitur militare in membris, quam ut ipsa membra per se militent.

v. 2. *Concupiscitis.* Exponit, quæ dixerat, quod â voluptate concupiscentiæ talia proveniant, addens quod illa omnis frustranea sit contentio, neque homo his mediis finem suum possit assequi. Ut autem omne bellum fit propter pacem, ita etiam contentio Judæorum infidelium adversus fratres fideles eo fine necessario fiebat, ut suppressis Christianis magis florerent res Judæorum. Sed ipsi æque inde miseri facti, cum tumultuarentur propter Christum, utique fideles & infideles Roma ejecti sunt, narrante Svetonio, & Romanis invisi facti.

Necatis & æmulamini. Nempe ex Zelo inepto, qvem habebant pro lege Mosis, & adversus Christi nomen & fideles, qvos vel ipsi per tumultum occidebant, vel ut occiderentur apud Magistratus Ethnicos accusabant. *Consequi*, scil. finem vestrum. *Non habetis.* Estis pauperes & egeni, qvi in fratres egenos bella movetis.

v. 3. *Male precamini.* Nempe ob finem malum; nam hominibus odio adversus fratres flagrantibus non potest alius finis esse precum, quam ut voluptati indulgeant. Possunt tamen hi tres versus omnes intelligi etiam de illis, qui Schisma inter Christianos faciunt ob legem ceremonialem, Judæorum fidelium causa retinendam, vel minus, qva de re egimus Cap. III 1. atqve ita bella & pugnæ intelligendæ sunt de contentione ob qvæstionem illam, forte alicubi etiam reali, ut ad pugnas & verbera res devenerit. Ita voluptas & concupiscentia habendi intelligi debent

bent de majore cum infidelibus pace qvæsita & sperata inde vivendi commoditate, sed tunc vox v. 2. φονέυετε, *occiditis*, durior est & commodior lectio aliorum φθονέυετε, *invidetis*.

v. 4. *Adulteri & adulteræ.* Freqvens est non tantum Prophetis V. T. ut apostasiam â DEO & cultus idololatricos metaphorico nomine adulterii exprimant. Sed in N. T. γενεὰ μοιχαλὶς, *generatio adultera*, â Christo dicitur, Matth. XII. 39. C. XVI 14. illa ætas hominum, qvæ signis & miraculis divinis cedere non vult, suasqve sibi traditiones maluit ad instar idoli colere, qvam veritati & S. Spiritui locum dare. Hoc sensu metaphorico videntur hæ voces & hic accipi, qvia ut proprie iis adulteria exprobrentur, nulla in textu est occasio. *An non nostis.* Ex his patet, quo sensu dicantur adulteri, qvod nempe amorem mundi præferant amori Dei. *Amor mundi.* Fuit ille in persecutionibus Christianorum Judæis infidelibus, qvando in gratiam Synedrii Hierosol. & procerum inter Judæos Christianos odio prosequebantur; fuit in Christianis tepidis & schismaticis, observationem legum ceremonialium urgentibus, qvando hoc modo Judæis infidelibus placere studebant, seqve â persecutione illorum eximere. Fuit in utrisqve, qvando qvæ sunt mundi, concupiscentiam carnis & oculorum & superbiam vitæ amarunt. *Est inimicitia*, Conf. Gal. I. 8. C. VI. 12.

v. 5, *Qvod vane scriptura dicit.* Versus hic admodum torqvet interpretes, qvia nullus Scripturæ locus est, ubi verba, qvæ seqvuntur, exstant, aut alia iis synonyma. Nam qvod qvidam ad Gen. VI. 3. aut 5. aut C. IIX. 21. provocant, nihil est, qvod ipsa verborum collatio facile docet. Et qvanqvam alia etiam qværi possint qvomodocunqve ali-

aliqvid in hanc sententiam dicentia, v. g. Prov. XXI. 10. non satisfaciunt tamen. Præsertim cum voces hæ interrogativæ: *an vane scriptura dicere putetur?* aliqvid comminationis vel argumenti, qvare oporteat ab inimicitia mundi desistere, videantur polliceri, non nudum testimonium, quod homo prava appetat. Lutherus putat respici locum Apostoli ad Gal. V. 17. Sed 1. nec eadem verba sunt, quæ hic exstant, nec 2. probabile, quod ad Judæos indifferenter omnes scribens sub nomine scripturæ aliam qvam V. T. scripturam intelligat. Alii igitur interpretes putant generaliter allegari scripturam, ex cujus diversis locis talis sententia eliciatur, qvalis in seqventibus proponitur. Sed & huic sententiæ obstat, quod verba sequentia nec comminationem, nec argumentum aliquod desinendi ab amicitia mundi contineant, prout quidem ab illis explicantur, quale quid tamen interrogatio videtur polliceri. Deinde nec verba v. seq. 6. bene cohærent cum præcedentibus, si ad eum modum verba explices, ut infra patebit. Itaque nostra sententia est, nullam hic allegari scripturæ sententiam, per verba sequentia expressam, sed potius respici verba præcedentia, quæ etsi in scriptura V. T. nusquam exstant, quo ad sensum tamen generalem passim inveniuntur, quod nempe Deus oderit προσωπολημψιάν, & eos, qui in gratiam potentium supprimunt humiles, &c. Nam verbum Græcum, λέγειν, etiam neutraliter significat eloqventem esse & eloqventiam exercere, orationem habere, ut & latinum verbum, dicere, & sic sensus erit: an ergo putatis, scripturam frustra perorare, qvando nempe amicitiam mundi prohibet? πρὸς φθόνον. Præpositio: πρὸς, apud Græcos sæpe significat adversus, qvando nempe cum verbis con-

ten-

tentionis atque pugnæ jungitur, qvale etiam est verbum Φιλονεικεῖ h. l. juxta locum Parallelum Gal. V. v. 17. φιλονεικεῖ complectitur omnis generis contentiones, â quibus hactenus dehortatus erat Judæos Apostolus. Ne scil. indulgeamus odio & invidiæ adversus fratres. *Spiritus enim.* Notandum est, quod utatur pronomine primæ personæ, adeoqve non loqvatur de Spiritu impiorum, quos in secunda persona allocutus erat, sed de Spiritu piorum, seu de Spiritu S. habitante in fidelibus. Unde arguit, ipsos â Spiritu S. non regi, qvi contentionibus indulgent.

v. 6. *Majorem vero dat gratiam*, nempe Sanctus ille Spiritus, qvi pugnando contra invidiam homines reddit mites & modestos, ille iisdem conciliat majorem Dei gratiam. Si verba præcedentia essent loco Scripturæ, & Spiritus significaret animam hominis peccato corruptam, ut pleriqve interpretes volunt, subjecto seu nominativo careret hæc oratio, v. 6. *Propterea dicit.* Perinde est, sive subintelligas nomen remotum, Scripturam, sive proximum, Spiritus, qvi nempe ita dicit in Scriptura. Locus autem citatus exstat Prov. III. 34. iisdemq; verbis in Græca versione, qvibus h. l. exprimitur.

v. 7. *Subjiciamini igitur Deo.* Conclusio hæc seqvitur ex duobus versibus præcedentibus, secundum nostrum sensum explicatis. Nempe subjiciamini Deo, ut â Spiritu ejus regamini & gratiam accipiatis majorem. Resistite Diabolo, ut nempe pugnetis adversus invidiam & odia & sic conatum ejus superetis.

v. 8. *Appropinqvavit Deo.* Poterat objici, si â DEO regimur ad deprimendam invidiam, expectandum esse, donec ille nos ad id moveat. Itaqve docet, Deum ad id semper paratum esse, dummodo nos auxilium ejus cupia-

mus, neqve repellamus gratiam oblatam. Ἀίψυχοι. Ita proprie dicuntur, qvi non vero animo alteri adhærent, sed simulant, aut pro variante commodo suo consilia flectunt, qvibus opponitur castitas cordis, sive sanctitas, qva sine dolo est animus sincerus & constans.

v. 9. *Humiliemini.* Pœnitentiæ & contritionis hæc sunt exercitia, qvæ commendat Apostolus. *Risus in luctum mutetur.* Nempe qvia vobis hactenus placuistis in contentionibus & oppressione fratrum, nunc dolete istum morem vestrum & convertimini.

v. 10. *Humiliemini, exaltabit.* Juxta scripturam v. 6. citatam, qva dicitur Deus humilibus gratiam dare.

v. 11. *Ne male loqvamini.* Redit nunc â thesi generali ad specialem, unde inceperat, Cap. III. v. 1. ne scil. ita abeant in factiones, ut alter adversus alterum temerario judicio insurgat. *Ille loqvitur contra legē.* Procul dubio eam, qvam laudat C. II. v. 8. ceulegem regiam de amando fratrem. *Et judicat legem*, i. e. damnat, sicut judicare fratrem est damnare fratrem Damnat autem legem ipso facto, qvi eam transgreditur. Spernit enim sive ut malam sive ut minus necessariam, adeoqve reapse illam abolitam patat. *Non factor legis sed judex.* Qvi paret legi, illa se inferiorem agnoscit, qvi vero judex ejus est, superior lege est. Id cum ex verbis abstractis facilius pateat, ideoque his verbis innuit, talem hominem se supra legem, cui subjici debebat, efferre.

v. 12. *Tu qvis es.* Qvia omnes uni Domino subsumus, cujus judicio vel stamus vel perimus, non est, qvod alter in alterum potestatem nobis arrogemus, tanquam in servum alienum. Omnia hæc dicta sunt non de judicio

cio ministeriali, indicante & monente, quid de quaque Thesi vel actione statuendum sit atqve ut heterodoxiæ & vitia moralia cavenda sint, sed de condemnatione hominum ipsorum ob quemcunque dissensum in quæstionibus adiaphoris & citra fundamentum fidei enatis, æqve autoritativa & judiciali condemnatione, qua alter alterum anathemate ferit.

v. 13. *Age igitur.* Hic incipit tertium propositionis secundæ membrum, ubi docet Apostolus, ne nobis & statui nostro confidamus, ob incertam tum futuram tum præsentem felicitatem. Hac admonitione opus erat adversus opulentiores, qui insolenter se gerebant erga tenuiores, quod & ipsi possint in eundem statum pervenire. *Et negotiabimur & lucrabimur:* Videntur ex h. l. Judæi in provinciis Græcis dispersi jam tum negotiationibus quam maxime dediti fuisse, sicut nunc omnis illorum cura est, ut per eam quid lucrentur.

v. 14. *Nebula balitus enim est.* Hæc verba ad finem usque versus quasi parenthesi includenda sunt, ut sic eo melior pateat constructio v. 15. cum 13. *qui dicitis loco horum verborum.*

v. 15. *Et faciemus.* Pro, etiam faciemus hoc vel illud.

v. 16. *Nunc vero gloriamini.* Cum nempe immemores incertæ conditionis vestræ, absolute & sine consideratione voluntatis divinæ vobis talia proponitis, quasi in vestra potestate positum sit, quid de vobis fieri velitis.

v. 17. *Scienti igitur.* Conclusio hæc est tanquam ex re nota, siquidem enim inquit vos vestri potestatem certam non habere, uti facile agnoscatis, male agitis, si non in omni proposito vestro ejus recordamini. Si nostis bonum esse, ut exprimatur verbis vestris hæc conditio, male

le agitis, cum non exprimitis. *Scienti αὐτῷ.* Pleonasmus ille est ex Hebraismo, ubi, cum casuum differentia non sit, post nomen in casu obliquo intelligendum, talis particula sequi solet.

CAP. V. v. 1.

Age nunc divites. Quæ hactenus â v. 13. Cap. superioris generali Thesi proposuerat de incertitudine rerum futurarum & felicitatis terrenæ, transfert nunc ad hypothesin specialiorem, quod nempe instet insolentioribus Judæis magnum infortunium, unde flere jubet miserias mox venturas; id enim significat vox ἐπερχομέναις.

v. 2. *Divitiæ vestræ.* Est iste mos scripturarum propheticarum, ut verbis præteritis exprimant futuras res ad indicandam rei certitudinem. Sicut Germanice dicimus: **es ist schon so gut als geschehen.** Notant hic interpretes quidam ex natura prædicatorum aliquam distributionem in divitias, ut divitiæ specialiter intelligantur de copia frumenti, olei, vini, vestimentis includantur aulæa, stragulæ, auro & argento splendentes omnis generis metalla, &c.

v. 3. *Vobis est in testimonium*, i. e. cum omnia vestra perdideritis hostili manu, tum vero memineritis culpæ & peccati vestri, qui vestro acerbo in fratres odio tale vobis attraxistis infortunium. Similis Phrasis occurrit Matth. XXIV. 24. *Et exedit*, scil illa ærugo auri & argenti vestri. *Carnes vestras sicut ignis.* Utenim ærugo semper latius serpit, atque in ea re cum igne comparatur, ita etiam hæc calamitas, qvæ vos omnibus bonis spoliabit, serpet etiam ad exedenda corpora vestra, ut nempe magnam partem trucidemini. *Thesauros vestros collegistis in ulti-*

ultimis diebus, i. e. in diebus illis, â quibus hoc infortunium prope abeſt. Per ultimos dies apud Prophetas & Chriſtiani & Judæi interpretes plerique intelligunt dies Meſſiæ, qui dicuntur dies ultimi non reſpectu totius mundi, ut ſatis experientia confirmavit, ſed reipublicæ politicæ Judaicæ, quæ mox poſt Chriſti tempora everſa eſt per Titum Veſpaſianum. Illa deſtructio uti non tantum Hieroſolymarum everſione conſtat, ſed & totius Judææ magnam vaſtationem, omnium in Romano Imperio Judæorum inſignem calamitatem & perſecutionem ſecum traxit, ita merito hac comminatione Jacobi intelligitur, quippe qui Judæis ſcripſit & Zelotarum ob legis ceremonialis & traditionum paternarum obſervationem neglectam Chriſtiano nomini infenſorum, perniciem prope adeſſe ſignificat in hac Epiſtola Judæis ſcripta. Quoque minus temporis reſtabat ad usque illud exitium, eo juſtius exprobrare potuit, quod theſauros ſibi colligerent in ultimis diebus fortunæ ſuæ, adeoque non diu poſſidendos.

V. 4. *Ecce merces*. Communis eſt interpretum ſententia, argui hic avaritiam divitum, qui operariis mercedem ſuam non ſolvunt, unde merces illa interverſa clamitet ad vindictam apud Deum. Sed 1. obſcurum eſt, utrum hic ſenſus in contextu hoc verborum Apoſtoli locum habeat, qui non de qualicunque divitum vitio, ſed de arrogantia & Zelo eorum adverſus fideles ob puritatem fidei multa paſſos hactenus locutus eſt. 2. Non convenit conſtructio verborum Grammatica tali ſenſui, cum ſcriptum eſt ὁ ἀπεστερημένος ἀφ' ὑμῶν, non ὑφ' aut παρ' ὑμῶν. Nam præpoſitiones ἀπό & ὑπό conſtruuntur cum paſſivis, ut denotent ſubjectum agens; non vero præpoſitio ἀπό, quæ

potius ex verbo compoſito h. l. repetita, ſignificat ſubjectum carentiæ, cui qvid ablatum, ſive terminum â qvo. Qva ſtante obſervatione ſenſus erit, qvod merces ſeu fructus agri vobis Judæis ablatus alienis datus ſit meſſoribus, cum exercitus Romanus primum agros Judææ depopulatus eſt, deinde & in bona Judæorum alibi viventium impetum fecit, ut autoritate publica illis ſpoliarentur. Hoc cum prædicit mox futurum eſſe, more Prophetarum in præſenti tempore dicit, *meredem illam clamare*, i. e. fructum tam uberem clamoris cauſam dare operariis ejusmodi alienis, clamoris autem lætitiæ & tumultus, ſicut alibi v. g. Eſ. XIII. 4. Jer. X. 11. ejusmodi clamor hoſtium Judæam invadentium prædicitur *Ad aures Domini Zebaoth pervenerunt*, i. e. Deus jam tum præſentem audit iſtum clamorem, qvi exercitum illum excitabit ad vaſtandam Judæam, qvo alludit ad notum Dei Epitethon, cum Dominus Zebaoth, i. e. exercituum dicitur.

v. 5. *Delicate vixiſtis.* Delicias illas, qvibus ſibi indulſerant, qvi mundum hunc amarunt, opponit Apoſtolus inſtanti nunc calamitati. *Nutrivistis corda veſtra.* Cor pro animo dicitur apud Hebræos. Paſtus tamen ad mactationem potius eſt corporis. Sed qvia qui corpus pascit, ex animi ſententia paſcit, ut inde voluptatem capiat, ideo h. l. animam ipſam paſcere dicuntur, qvi bene ſe ſaginant. *Sicut in die mactationis.* Freqvens eſt in N. T. ut ὡς ponatur pro ὡσεὶ, præſertim cum conſtruitur cum nomine ἡμέρα, ideoqve & h. l. vertenda ſunt hæc verba: qvaſi in diem mactationis, i. e. ſaginaſtis vos, ut ſolemus ſaginare pecora, qvæ mactationi deſtinamus, cui & vos deſtinati eſtis.

v. 6.

v. 6. *Condemnastis.* Non tantum temerariis judiciis privatis, sed & accusationibus apud tribunalia Ethnicorum. *Occidistis*, sive tumultu, ut accidit Stephano, Act. VII 57. sive per Ethnicos judices, qvos ad condemnationem incitastis. Locus hic confirmat lectionem de Zelotis, cap. VI. v. 2. *Justum*, per Enallagen numeri pro: *justos* seu homines innocentes. Sunt interpretes, qvi intelligunt Christum, sed id & obscurius diceretur, qvam ut intelligi posset à legentibus & alienum esset â scopo Apostoli, qui v. seq. Christo vindici non obscure attribuit imminens illorum infortunium. Etsi eo tempore, quo occisus est, non restitit. *Non resistit Vobis.* Innuit hanc calamitatem non oborturam esse Judaico populo â Christianis, qvippe non resistentibus vi & armis adversus illorum conatus, sed aliunde, nempe ab ipsis gentilibus.

v. 7. *Sitis igitur longanimes.* Tertium hic incipit membrum Epistolæ, qvo regreditur Apostolus ad tenuiores & oppressos, ut eos ad patientiam denuo adhortetur. Vocula: οὖν, ostendit, qvod hanc adhortationem deducat ex præcedentibus, tanqvam conclusionem inde illatã. Nam qvia diem vindictæ instare oppressoribus dixerat, nunc etiam oppressos jubet bono animo esse, ut concludant, Deum etiam ipsorum curam gerere, qvi in hostes tantam Vindictam exercet. *Usqve adventum Domini.* Non potest alium adventum in hac conclusione intelligere, quam de qvo locutus erat in præcedentibus, nempe de adventu Domini ad judicium particulare, in Judæos exercendum, per ultimum Hierosolymæ & reipublicæ Judaicæ exitium. *Ecce agricola.* Prosequitur hanc adhortationem patientiæ per propositum simile, qvia & Christianis aliqvando fructus obventurus est fidei & ærumnarum, qvas patiuntur, qvemadmodum agricolæ. Atque ut hic indiget tempore

& morâ, usq; dum fructus matureſcat & cœli tempeſtatem ad eam rem aptam à DEO exoptat, ita & Chriſtianos nunc oppreſſos viciſſitudines temporum ſibi ſalutares & tandem æternam beatitudinem patienter expectare. *Usq; dum accipiat pluviam.* Patet hinc, qvod Apoſtolus patientem expectationem ad tempus Domini non comparet cum meſſe agricolæ, ſed cum viciſſitudine tempeſtatis, æſtum ſolarem temperantis atqve fructibus incrementum dantis. Unde concluditur, neque per adventum Domini intelligi tempus ultimi judicii, qvo ad beatam gloriam perveniant, vel tempus mortis, qvo ea animæ obvenit, ſed tempus tale, qvo rebus præſentibus viciſſitudo ſeu immutatio ſingularis obveniet, ad confirmandos animos Chriſtianorum in fide, ut creſcant ad vitam æternam.

v. 8. *Longanimes ſitis & vos.* Eſt hæc παράδοσις ad ſimile propoſitum. *Appropinqvavit*, ſive prope adeſt illud tempus, de qvo dixi. Non poteſt hic alius adventus intelligi, qvam qui expectandus eſſe dicitur v. 7. adeoq; non quotidiana obſervatio intelligitur rerum noſtrarum divina, ut volunt quidam interpretes, neque alius quam qui v. 7. infertur ex præcèdentibus, & qui tunc prope erat, adeoque nec adventus ad extremum judicium, qui quam propinquus ſit, nec dum poſt ſedecim ſecula ſcitur, adeoque neceſſario adventus ad deſtructionem Hieroſolymitanam, etſi ille non erat viſibilis niſi in effectu.

v. 9. *Non ingemiſcitis.* Intelligitur gemitus vindictæ, quo livor animi proditur, omnia mala hoſtibus apprecantis, qualis gemitus veræ patientiæ adverſus eſt, adeoque veris Chriſtianis cavendus. *Ne condemnemini.* Nam qui odit fratrem ſuum, idque prodit quocunque ſigno, reus eſt judicii & Gehennæ, juxta Matth. V, 22. *Ecce judex.* Hujus

jus nempe solius est, nocentem ab innocente distinguer e, & unicuique respondere, hujusque officium occupamus malo nostro, cum gemitibus animi alium condemnamus. *Ante fores est.* Ut solet hospes mox ingressurus. Idem enim dicitur, quod commate ultimo versus superioris, nempe Christum brevi in hostes Judæos judicium exercturum esse.

V. 10. *Exemplum capite.* Aliud argumentum patientiæ suppeditat ab exemplo Prophetarum V. T. qui etiam male habiti sunt â populo, cum quæ ingrata erant, prædicarunt. Conf. Matth. XXIII. 37. Quanquam etiam Prophetas N. T. sub hoc exemplo concludi vero simile est, juxta Matth. XXIII. 34. quorum plures eo tempore, quo scripsit Jacobus, nempe proxime ante vastationem Hierosolymitanam, jam tum misere perierunt. *Nomine Domini.* In Manuscripto quodam Romano Cardinalis Barbarini, ut notatur in editione Oxonienſi, legitur: ἐν τῷ ὀνόματι κυρίου, quæ lectio videri poterit melior, quia perpetuo in N. T. illa Phrasis cum præpositione ea occurrit, neque Græce sine præpositione cum Dativo verbum jungitur, cum autoritas, modus, aut instrumentum significatur, quemadmodum apud Latinos, cum ablativo sine præpositione verba construuntur. Itaque si lectio hæc nostra sine præpositione genuina est, malim vertere latine in dativo. *Qui locuti sunt nomini Domini*, i. e. in usum, augmentum & celebrationem nominis divini.

V. 11. *Ecce.* Sensus argumenti Jacobæi est, quod cum in aliis laudamus patientiam, eandem debeamus imitari. *Finem Domini*, eventum ærumnarum, quem Dominus immittit, cum soleat omnia tandem adversa ad optatum finem deducere, sicut in ipsa etiam Jobi historia observa-

tur, quomodo Deus finem fecerit adversis & multiplici felicitate etiam in hac vita compensaverit ejus ærumnas. Unde patet quam misericors sit Dominus.

v. 12. *Ante omnia.* Postquam patientiam in genere commendavit Apostolus, voluit progredi ad formandos mores, in quovis statu ærumnarum, ut doceat doctrinam patientiæ in praxin deduci. Ibi vero occurrere potuit multorum sive titubantia, sive temeritas, qua ex familiari Judæis more jure jurando confirmarent sive dissimulationes suas, cum Zelotis cedere & illorum â se iram avertere vellent, negando v. g. conuersationem cum Ethnicis & neglectionem legum ceremonialium, ut Petrus quondam, Gal. II. 12. seq. sive dolorem suum & injurias, quas patiuntur, unde abusum illum verborum ante omnia notandum putavit. Itaque ut voce illa: *ante omnia*, monitum dat omnibus aliis monitis præmittendum, etsi illud directe non faceret ad quæstionem patientiæ, tamen ut aliquod obstans vitium officiis hominum in exercenda patientia id videbatur removendum. Nam uti Christiani qvondam, Tertulliano notante, ex consvetudine mala juventutis retinebant juramenta Ethnica, ita etiam verosimile est, Judæos ad fidem Christianam conversos juramenta Judaica in re seu falsa seu vana ex eadem consvetudine retinuisse. *Non jurate neq; per cœlum.* Sunt illa juramenta, qvæ Judæis non videbantur obligatoria, quia Christus Matth. XXIII. 12. illa explicat, qvod omnino sint, qvodqve qvi jurat per cœlum, juret per Thronum Dei & per ipsum Deum. *Neqve aliud aliqvod juramentum.* Nempe ei simile, qvalia multa habebant Judæi.

Sit vestrum etiam. Qvicqvid affirmare velitis, affirmate simpliciter, & qvicqvid negare velitis, negate simpli-

pliciter, sine jure jurando; vel si ad veritatem verborum respicere credas Apostolum, sensus erit: ita sitis constantes sermone, ut qvisqvis vobis etiam sine jure jurando credat, neqve affirmate ore, nisi qvod mente affirmatis. Ita de constantia & veritate verborum hæc formula occurrit II. Cor. I. 17. *Sub judicium.* Qvidam malunt legere una voce, ὑπόκεισιν, qvia ὑπόκεισις veritati contraria est. Sed etiam sic habenda esset præpositio, ἀσ, scil. ἀσ ὑπόκεισιν, &c. At convenientior textui est nostra lectio, qvam illa correctio. Etsi enim, qvæ monet Apostolus, per consequentiam etiam ab hypocrisi avocat, directo tamen & immediate agit de jure jurando, in qvo semper nominis divini abusus est, quem se nolle impunem esse hominibus dixerat Deus in præcepto secundo decalogi, ideoq; ut ab illo judicio DEI, quod temere jurantibus imminet, sibi caveant, monet Apostolus.

v. 13. *Patitur qvisqvam.* Ut in versu præcedent, docuerat Apostolus, qvosq; animæ affectus sine jure jurando ponere, ita nunc, qvid in qvoqve affectu patiendum sit, ostendit, nempe in re adversa, cum animus tristis est, ad preces esse confugiendum, ubi animus hilaris, ad hymnos & laudes Deo canendas.

v. 14. *Si infirmus &c.* Admodum probabile est, plures ex piis, qvi â Judæis Zelotis bonis suis exuti, in Synagogis male excepti, pulsi, verberati, lapidibus petiti erant, (ejusmodi tumultus freqventes fuisse Acta Apostolica docent & historia Josephi scriptoris Judæi) inde morbum contraxisse, tum ob corporis partes aliqvas læsas, qvi qvia omnium miserrimi videbantur in illo communi Christianorum infortunio, peculiari etiam solatio & consilio eriguntur. *Presbyteros Ecclesiæ.* Patet hinc, qvod uni Eccle-

Ecclesiæ plures fuerint. Neqve Monarchia Episcopalis jam tum introducta. Jubet autem advocare Presbyteros, non tantum ob dotes vel dona administrantia, officiis illorum communia, ut solatio verbi divini & precibus recitatis erigant ægrotum, sed & ob dona ejus temporis singularia atq; extraordinaria, nempe χαρίσματα sanationum, de qvibus Paulus I. Cor. XII. 9. Etsi enim necessarium non erat, ut omnes Presbyteri, propterea qvia essent Presbyteri Ecclesiarum, ejusmodi Charismatibus miraculosis pollerent, qvia tamen illa in primitiua Ecclesia erant freqventia, passim neophytis pluribus â Spiritu S. data per manus Apostolorum, de qvibus & loqvitur Epistola ad Ebr. II. 4. probabile est, eos imprimis Presbyteros Ecclesiarum electos esse, qvos Spiritus S. ejusmodi Charismatibus insigniverat, qvasi divinitus præ aliis notatos. Conf. Act. XX. 28. *in qvo vos Spiritus S. posuit Episcopos.* *Ungentes oleo.* Nempe erigendos iterum & ad valetudinem pristinam reducendos, juxta versum seq. non moribundos, ad qvorum unctionem hæc verba trahunt Pontificii. Exemplum ejusmodi unctionis sanatoriæ occurrit Marc. VI. 13.

v. 15. *Preces fidei.* Nam Charismati miraculoso respondere debet fides miraculosa passiva, qvod nempe beneficium tale præstiturus sit Deus per suum ministrum. *Salvabit.* Nempe ab eo statu, quo laborat, i. e. morbo. *Et peccatum.* Alterum illud beneficium est â priore distinctum, ad spiritualem salutem pertinens, convenitqve ut hoc jungatur priori, sicut Matth. IX. 2. *Si fecerit.* Nempe talia, qvæ bonam conscientiam & gratiam Dei excutiunt; nam â peccatis qvotidianæ incursationis nemo etiam renatorum liber est, adeoqve de illis in modo conditionali

nali loqvi non potuit. Utitur igitur hac voce peccati eo sensu, qvo Cap. I. 15. â concupiscentiæ conceptibus illud tanqvam effectum distingvit. Et qvo sciri ac enumerari possunt ab homine delicta, juxta v. 16.

v. 16. *Confitemini vobis invicem.* Cum de Presbyteris Ecclesiæ eorumqve officio dixisset, jam ut & Laicos oporteat sibi mutua officia præstare, in simili casu hac occasione docet, nempe tali candore fraterni amoris secum agere, ut & agnoscant & fateantur alter alteri, quid peccaverit, & ut alter pro altero preces apud Deum fundat, & sic excepto miraculo, qvod qvibusdam tantum, præsertim Presbyteris, datum esse supponit, alter alteri, eodem modo succurrat, neq; in ejusmodi rebus officium suum ad Presbyteros Ecclesiæ remittat unice. *Ut sanemini.* Nempe â morbis, qvibus affligimini; nam & propria vis vocis & connexio textus, qui agit de ægrotis, hunc potius sensum suadet, quam metaphoricum de salute spirituali. *Multum valet.* Subjungitur ratio, quare debeat etiam recuperationem valetudinis sperare â precibus fratrum, quia nempe precibus justorum multa concedat & concesserit Deus. Hoc monito Apostolico nititur mos Ecclesiarum nostrarum, ut pro ægrotis publice preces fiant. *Precatio justi*, i. e. ejus, qui apud Deum in gratia est, quiq; non est peccator in sensu famosiore ita dictus, nempe ut peccatis contra conscientiam gratiam Dei excusserit. *Efficax*, i. e. quæ â Spiritu S. in animo hominis excitata seria est & ardens.

v. 17. *Elias.* Probat exemplo, preces justorum valere etiam ad eventus corporales â Deo petendos. *Cum esset homo.* Poterat objici exemplo Eliæ, quod ille fuerit Propheta, singulari virtute divina instructus, qvo cum

comparari neqveant alii, ideoqve occupat responsionem tali objectioni convenientem, nempe qvod homo tamen fuerit, par nobis aliis casibusqve humanis subjectus perinde ut nos, adeoqve vel inde, qvod gratiam tantam acceperit â Deo, nobis animum addi, ut & ipsi aliqvam speremus, etsi non tantam, qvantam ille habuit. Nam qvod precibus suis hic dicitur obtinuisse, non uni vel alteri, sed toti terræ Judaicæ, omniqve populo obtinuit & qvidem circa cœli tempestatem, cujus arbitrium & moderatio semper ab obnibus gentibus divino numini accepta lata est, adeoqve circa hoc miraculum imprimis notandum erat qvod id obtinuerit, qvi homo erat & merus homo. ὁμοιοπαθὴς, i.e. etiam adversa varia passus ob religionem veram, sicut & nos. Qvod addit, ut eo magis erigat animas afflictorum hujus rei memoria, ut meminerint nihil inde decedere â gratia divina, qvod inter adversa & persecutiones gemere oportuit. *Precatione precatus est.* Hebraismus ille est, qvo ad majorem Emphasin exprimendam infinitivus cum verbo finito jungitur, qvi infinitivus alias Latinos per Gerundium, h.l. per nomen exprimitur, ut denotet instantissimas preces Eliæ, de qvibus in S. Scriptura V. T. nihil legitur, sed tantum prædictio siccitatis, I. Reg. XVII. 1. Colliguntur autem ex ardente Zelo Prophetæ adversus facta Achabi & Jesabelis. *Annos tres & menses sex.* Ita etiam Christus, Luc. IV. 25. Etsi nec id in V. T. exstat præcise determinatum, qvin potius 1. Reg. XIIX. 1. dicitur Propheta rediisse ad indicandam pluviam anno 3. qvi locus huic videtur contrarius, qvia siccitas post tres annos & sex menses finita, anno 4. finita esse debebat. Sed hoc dubium optime solvitur, si & computum tertii anni isto loco intelligas ab adventu Prophe-

phetæ ad viduam Sareptæ, de qva agitur in præcedentibus. Nam primum post prædictam siccitatem abiit Propheta ad torrentem Crith, ibiqve commoratus est, donec ille exsiccaretur, מִקֵּץ יָמִים, *â fine dierum*, Cap. XVII. 7. Qvod Lutherus qvidem vertit. Nach etzlichen Tagen/ at juxta Hebraismum verti debet: *post annum*. Hoc igitur primo anno siccitatis fuit Propheta in litore hujus torrentis, postea duobus annis cum dimidio seu ad annum usque tertium cum vidua Sareptana.

v. 28. *Et denuo precatus est*. Neqve id legitur expresse in historia Eliæ, colligitur tamen ex gestu precantis, qvem habuit, cum flexis genibus in terram pronus decumberet; donec appareret nubes in cœlo, I. Reg. XIIX. 42. *Fructum suum protrudit terra*, quæ â siccitate plane hactenus exaruerat, qvod patet ex I. reg. XVII. v. ult.

v. 19. *Si qvis vestrum* Progreditur ab officio Christianorum mutuo ad avertendas peccatorum pœnas, adqꝫ avertendum seu corrigendum peccatum ipsum, tanqvam causam morborum & infortuniorum. Nam qvod Deus eo tempore corporalibus ejusmodi pœnis insecutus sit peccata Christianorum, patet 1 Cor. XI. 30. *A veritate*. Non intelligitur hic tantum veritas Theoretica, seu intellectus à veritate error, sed & veritas practica seu error voluntatis, seu actionum nostrarum a regula Evangelica, sicut contra in veritate incedere dicuntur, qvi illam ipsa praxi seqvuntur.

v. 20 *Salvabit animam*, nempe ejus peccatoris, sic per ipsum conversi. *Et occultabit* Occurrit hæc vox qvandoqve de occultatione, qvæ fit respectu hominum, ut Prov. X. 12. Et ita plerisqꝫ interpretibus nostratibus locus huic parallelus creditur & explicatur. 1 Petr. IV 8. At occurrit etiam de occultatione respectu Dei, seu remissione peccatorum, ut Ps. XXXII, 1. Rom. IV, 7. qvo sensu etiam h. l. intel-

telligi debet ministerialiter, qvia qvi convertit peccatorem, ut ipsum salvat, juxta 1. Tim IV. 16. ita etiam peccata ejus tegit, seu ut remittantur facit. *Multitudinem peccatorum*, nempe à peccatore converso admissorum; ita enim malim simplicius intelligere verba Apostoli conformiter priori commati, qvam regredi ad hominem, ipsum convertentem.

FINIS.

*** *** *** ***

PROOEMIUM.

IN EPISTOLAM PETRI CATHOLICAM, EAMQVE PRIOREM.

QVod Petri Apostoli hæc sit Epistola, nemo unqvàm dubitavit, teste Eusebio, l. 3. Hist. Eccl. cap. 3. Qvod inscripta sit: *Dispersis fidelibus per Pontum, Galatiam, &c.* satis docet versus primus cap. 1. de qvibus pluribus infra, cum ad analysin ejus specialem pervenerimus. *Locus*, ubi scripta est, colligitur ex Cap. V. 13. ubi salutat â Babyloniæ Ecclesia. Unde colligitur, Petrum tunc Babylone fuisse. Sed utrum Babylon proprie dicta, Chaldeæ Urbs, intelligatur, an vero metaphorice dicta, i. e. Roma, uti eo nomine venit, Apocal. XIIX. 2. apud Interpretes disqviritur. Qvi Romam intelligere malunt, ut Baronius & alii Pontificii, urgent potissimum, qvod Josephus l. 18. Antiqvit. Judaicarum referat, Judæos tempore Caji Augusti ex Babylone Chaldæorum esse expulsos, unde & Petrus isthic esse aut Ecclesiam colligere potuerit. At hoc Argumentum infirmum est, qvia etsi Româ pulsi sunt Judæi tempore Claudii & cum illis Aqvila & Priscilla, Act. XIIX. 2. nihilominus eos isthic mature receptos esse patet ex Epistola ad Romanos, Ecclesiam ibi collectam esse satis numerosam innuente & inter alios etiam Priscam & Aqvilam isthic denuo vivere, cap. XVI. 3. Qvæ omnis mutatio intra ea tempora accidit, qvæ Act. XIIX. & XIX. describuntur, qvia Epistolam ad Romanos ad Capitis XX. versum 2. recte referri in Prologomenis ejus Epi-

Epistolæ docuimus. Ita nihil obstat, qvo minus & Babylone pulsi Judæi mox recepti sint. Malumus igitur in sensu literali vocem accipere, qvia nusqvam apparet ex Epistolis Paulinis aut aliis vetustis monumentis, extra visiones Apocalypticas, qvæ sua natura sunt methaphoricæ, Romam vulgo â Christianis ita appellatam esse, cum tamen eam appellationem notam esse oportuerit iis, ad qvos scripta est Epistola, siqvidem verba Petri intelligere debebant. *Tempus* scriptionis incertum est. Baronius qvidem refert id ad annum Christi 45. Sed ex hypothesi incerta & nobis improbata, qvod nempe Romæ scripta sit hæc Epistola, qvo Petrum venisse secundo anno Claudii Augusti Eusebius in Chronico asserit. Inde enim porro infert, statim cum isthuc venit, scriptam esse, qvia Marci mentionem facit, qvem tunc secum fuisse innuit eodem v. 13, cap. V. qvem tamen Alexandriam ablegatum esse veteres doceant. *Scopus* Epistolæ est generalis, nempe confirmatio in fide & Religione Christiana eorum, ad qvos scripsit. *Occasio* non apparet alia qvam forte Sylvanii iter, per qvem Epistola hæc transmissa est, juxta Cap. V. 12. Refert vero Eusebius l. 3. H. Eccl. C. V. qvod Petrus Judæis per eas regiones, qvæ Cap. I. 1. innuuntur, Evangelium prædicarit, qvod & ex Gal. II. 11. probabile redditur, cum Petrus dicitur Antiochiam venisse, qvæ in itinere, qvod Hierosolymis in Asia minori instituitur, occurrit. Unde peculiarem illarum Ecclesiarum curam Petrus procul dubio habuit.

Epistola tota est adhortatoria ad mores Christianos formandos. Inscriptio legitur Cap. I. 1. 2. Exordium sumitur â præstantia susceptæ Christianismi, per modum laudis Domini, v. 3. cujus spem & præmium commendat (1) â perpetuitate, v. 4. (2) â certitudine, v. 5. (3) ab excessu futuri gaudii supra præsentem dolorem, v. 6. 7. 8. 9. (4) â desiderio Prophetarum, v. 10. 11. 12. & Angelorum, vers. 12. eod.

Propositio & Adhortatio est 1. generalis ad sanctitatem morum, per modum conclusionis inde deductæ, v. 13. Qvam confirmat (a) â sanctitate Patris cœlestis, v. 15. ejusqve judicii, v. 17. (b) â pretiositate redemtionis nostræ, v. 18. (c) â natura regenerationis æternum valituræ, v. 22. ad novos mores nutrituræ, Cap. II. 1. (d) ab

nuione noſtra cum Chriſto, v. 4. per argumentum illuſtratur â contrario, v. 7. ſq.

Adhortatio 2. vel ad cavenda vitia, qvod ſint ſcandala infidelium, v. 11. 12. (a) ſpecialiter circa honorem Magiſtratibus debitum, v. 13. & heris etiam injuſtis, v. 18. exemplo Chriſti patientis ſine culpa, v. 21. & maritis, cap. III. 1. 9. qvod in ea re conſiſtat decus mulierum, v. 3. illuſtratum exemplis, v. 5. deniqve uxoribus, v. 7. (b) & amorem erga qvosvis, v. 8 etiam hoſtes, ut abſtineatur â vindicta, v. 9. in ſpem benedictionis, ibid & v. 10. Qvod confirmatur (1) â providentia DEI v. 12. (2) ab Apologia modeſta pro juſtitia cauſæ apud homines, v. 15. (3) ab exemplo Chriſti plura paſſi, v. 18. & ſic damnatis qvoqve exemplum facti, v. 19. (4) ab utilitate patiendi ac ſanctificatione, Cap. IV. 1. (5) ab injuſta odii infidelium cauſa, v. 4. Deniqve circa amoris officia, â v. 8. usqve ad 11. incluſive.

Adhortatio III. ad paſſiones Chriſti fortiter ferendas ab nomen Chriſti incipit, v. 12. qvam confirmat (α) â fructu, ſive indicio Spiritus S. inhabitantis, v. 14. (β) ab obedientia DEO debita, v. 17. facta digreſſione ad officium Presbyteri, Cap. V. 3. & plebis, v. 5. qvod utrumqve humilitati illi conforme eſſe debeat. (γ) â ſpe in Deum collocanda, v. 6. (δ) â tentationis Diabolicæ periculo, v. 8. (ε) ab exemplo aliorum, v. 9. Epilogus ſeqvitur, 12. 13. 14.

CAP. I. v. 1.

Apoſtolus. Ut voce hac ſe diſtingvit ab omni alio Petro, ne Auctor Epiſtolæ dubius ſit, ita cum nomen officii ſibi non aliud addit, qvam qvod cum pluribus commune ipſi erat, tacite innuit, neqve ſe reliqvis Apoſtolis officio majorem eſſe.

Electis Ita ex judicio charitatis præſumit, omnes, qvi fidem receperunt, firmos & conſtantes futuros eſſe & cœleſtem hereditatem adepturos & ſic ex prævisione Dei ad ſalutem electos. Aut ſi maximè qvosdam inde recel-

receſſuros eſſe novit, paucos tamen futuros eſſe præſumit, ne obſtent denominationi totarum Eccleſiarum.

Παρεπιδήμοις διασπορᾶς. Hæc verba produnt, qvod ad Judæos ſcribat, ſicut & Petro creditum eſſe Evangelium circumſionis Paulus docet, Gal. II. 7. Et utiqve Evangelium primum omnium annunciatum eſt Judæis. Conf. Act. XI. 19. Qvanqvam tamen & Presbyteros gentium, qvi inter Judæos vivebant, ab hac ſalutatione non excluſit, ceu patet ex dicto Oſeæ, de vocatione gentium locuti, ad illos applicato, cap. II. 10.

Διασπορᾶς. *Diſperſionis.* Eo nomine veniebant Judæis illi, qvi non in terra Judaïca, ſed inter gentes diſperſi vivebant. Non enim omnes, qvi vel ab Aſſyrio Rege, vel â Babylonico deportati erant ſub Regibus Perſarum in terram ſuam revertebantur, uti neqve illic habitantibus præſertim Samaritanis ſive Chutæis, terra Samariæ omnes recipere potuiſſet. Sed plures illorum jam adſveti vitæ aliarum terrarum eam commoditatem Zelo redeundi in Patriam & ad templum Hierololymitanum prætulerunt. Deinde cum rerum potirentur primum Græci, poſtea Romani, ultro in Europam ſe hac occaſione contulerunt, præcipuè etiam Zelo faciendi Proſelytos animati, de qvo loqvitur Chriſtus Matth. XXIII. 15. Plures etiam ex iis, qvi in patriam reverſi erant, tempore Maccabæorum, inde diſperſi ſunt, ut tyrannidem Antiochi evitarent. Hæc Διασπορὰ eſt, qvam innuunt Judæi, Joh. VII. 35.

Ponti &c. Omnes hæ ſunt Regiones Minoris Aſiæ. Nam Aſia ipſa, qvæ hic nominatur, non niſi parva ad Helleſpontum provincia eſt.

v. 2. *Secundum præſcientiam.* Significat hæc vox qvidem

dem aliqvando etiam providentiam, qvæ decretum aliqvod voluntatis includit, sed illam tamen præscientia nixam, nunqvam solum voluntatis decretum, ut volunt Calviniani. Seqvitur igitur, homines â DEO electos esse, prout DEUS prævidit eos futuros esse, cum vocarentur, i. e. sub prævisione fidei, atqve illos, qvos tales fore prævidit, qvi gratiam Spiritus S. non abjicerent, præ reliqvis voluit audire Evangelium & media illis ad salutem sufficientia ordinavit. Videatur exemplum Act. XVI. 9.

In sanctificatione, i. e. per sanctificationem juxta Hebraismum, qvo omne medium particula, ב, exprimitur. Sanctificatio autem est separatio pro DEO & rebus divinis. Sicut quod sanctum & purum est, opponitur communi Rom. XIV. 14. seq. Act. X. 14. seq,. Ita in præscientia & innixa illi electione divina separamur â turba reliqvorum hominum & Deo ac saluti æternæ addicimur, atqve ad eam rem fit sanctificatio Spiritus etiam in tempore, ut puro veroqve cultu Deo serviamus. Sicut igitur suo nos consilio Deus elegit & agnovit ante jacta mundi fundamenta: ita Spiritus S. in decreto illo divino nos sanctificat.

Ad obedientiam, i. e. id ut fieret & effectum suum sortiretur, qvod prævidit fore, si gratia Evangelica prædicaretur. Intelligit autem procul dubio obedientiam fidei, i. e. receptionem Christi, uti & primum, qvod ab homine convertendo reqviritur, est obedientia fidei.

Aspersionem. Iterum intelligit passive vel actum cum effectu, ut nempe qvæ fit in Evangelio aspersio sangvinis Christi ab illis accipiatur. Fiebat autem aspersio sangvinis in V. T. ad expiationem populi & sanctionem fœderis cum ipso, ut patet Psalm. LI. & Exod. XXIV. atqve qvod illic

illic typicum fuit, hic reale est, ut reapse per virtutem sanguinis Christi expiationem habeamus.

Gratia & pax. Salutatio hæc etiam ex Hebraismo est, cui solenne, omne bonum, qvod salutatione precamur, nomine pacis complecti, qvam qvod habeamus â Deo, per gratiæ voculam innuit Apostolus.

v. 3. *Deus & Pater.* Plerumqve ubi Dei mentio fit, directè & immediate ad primam Deitatis personam respicitur, tanqvam ad fontem Deitatis, etsi reliqvæ Personæ non excluduntur, sed simul conjungi intelliguntur, etsi non voce, tamen sensu & re. Sicut cum arborem v. c. nomino, directo respicio ad stemma, ramos tamen ad integritatem pertinentes non excludo.

Secundum misericordiam. His verbis excludit meritum & dignitatem nostram omnem, qvo nempe hi supra alius loci vel ætatis homines, ad qvos Evangelium non pervenit, se putarent excellere.

Per resurrectionem. Nam spes nostra ex resurrectione Christi pariter erecta est, uti docet Paulus I. Cor. XV. 12. 17. &c. atqve inde epithethon spei, qvæ dicitur viva hoc loco electa esse, ut intelligeretur, qvod ex hac causa potissimum vivat, qvæ alias morte Christi extincta fuisset, juxta Luc. XXIV. 21.

v. 4. *Ad hæreditatem*, i. e. præmium aut gloriam, perpetuo jure possidendam, qvalis est eorum possessio vel jus, qvi bona sua ad hæredes transferunt.

Incorruptibilem. Addit hæc Epitetha propterea, ut intelligamus, sicut ipsũ jus, qvod nobis datur, futuræ gloriæ suâ naturâ perpetuum est, ita & res seu gloria ipsa talis sit, neqve per vim alienam vel corrumpi vel pollui & diminui possit, vel per suam ipsius imbecillitatem deficere, uti herbæ marcescunt.

Ad nos, i. e. ut nobis conferatur, noſtra cauſſa qvaſi aſſervata, noſtrumqve adventum expectans.

V. 5. Cuſtoditos. Non tantum præmium cœleſte perpetuum & incorruptibile eſſe, ſed & noſtram ſpem ita firmam eſſe docet, ne timeamus nos inde dejectum iri, qvippe virtute Dei ſervatos & cuſtoditos, ne qva nos tentatio vehementer frangat, ſed ut cuſtodia externam tantum vim prohibet: ita ſpei vitam internam, de qva locutus eſt v. 3. ne ipſi extingvamus, cavere oportet.

In virtute. Hebraiſmus eſt, qvo omne medium aut principium per particulam ב ſeu JN effertur, adeoque idem quod τῇ δυνάμει.

Per fidem, i. e. mediante fide. Nam virtus DEI fidem conſervat, fides ſervat nos.

Ad ſalutem. Hæc proprie eſt ereptio ab omni malo, adeoque non formaliter idem cum κληρονομία, quæ verſu ſuperiori nominatur, etſi naturaliter coincidunt, quia cum eripimur è malis hujus mundi, cœleſtem beatitatem adipiſcimur. Reſpicit igitur hæc σωτηρία ſ. liberatio illud omne periculum & malum præſens, â quo, ne noceat, per fidem cuſtodimur, tanquam terminus cuſtodiæ hujus ultimus.

Ut reveletur. Revelatio hæc plus eſt quam ſola collatio ſalutis, qua nempe pateſcit omnibus, quod nobis collatum ſit, quod fiet tempore ultimo ſive noviſſimo die mundi, cum omnes tandem fideles hujus mundi malis erepti fuerint & publicum judicium factum.

V. 6. In qvo. Eſt hæc particula nota objecti, ſicut Johan. V. 35. ubi eadem eſt hujus verbi conſtructio, adeoque ſignificatur, fideles nunc exultare & gaudere de ultimo

mo mundi tempore, qui præsentem illorum contemptum vindicabit, cum apud omnes constiterit, quanta ipsis salus sit collata.

ει δέον ἐστι. Hæc verba docent, Apostolum magis de præsumtiva quam certa tristitia fidelium loqui, ut parenthesis hæc commode latine reddatur: FORTASSIS.

Parum. Comparativa vox est, respectu habito tum ad æternitatem salutis, tum ad magnitudinem exultationis. Vid. II. Cor. IV. 17.

Variis tentationibus, præcipue illis, quas Judæorum infidelium furor adversus fideles tunc excitavit.

v. 7. τὸ δοκίμιον idem est quod ἡ δοκιμὴ, probatio, ut ex Græcis Autoribus Lexica probant.

Precioſior auro. Ut sibi constet comparatio, oportet hic intelligere ellipsin in Hebræis comparationibus non infrequentem, quasi diceret

Precioſior probatione auri. Est autem probatio fidei precioſior, quia non tantum pluribus constat, in quam & sangvis & bona & vita impenduntur, sed & fidei majorem nobilitatem docet.

Pereunte. Solvi enim potest aurum per aqvam regiam, artesqve Chemicas, & radi, ut pereat. Conf. Exod. XXXII. 20.

In laudem. Qvia deest Genitivus, possumus subintelligere laudem DEI, laudem vestram, laudem fidei, qvod ultimum malim, qvia de fide ejusqve probatione agit.

In revelatione, ea nempe, qvam v. 5. innuit, qva revelatur fidei nostræ præstantia, cum revelatur effectus ejus, nempe salus. Unde Genitivum, Jesu Christi, possumus intel-

intelligere esse genitivum causæ efficientis, adeoq; revelationem, qvam faciet Jesus Christus, non subjecti, seu eam, qva ipse revelabitur.

v. 8. *Non videntes*, juxta illud Christi ad Thomam, Joh. XX. 29. Non enim venerat ad dispersos per Gentes Judæos Christus, & sic neqve ad illos, qvi in Asia minore habitabant, ad qvos scripsit Petrus. Etenim ex illis qvoqve regionibus plures advenas in festis præcipue majoribus Hierosolymam venisse, ex Act. II. 9. patet, sed illi tamen numero fuerunt pauci respectu majoris partis, qvæ isthuc non venit, ideoqve ab illa fit denominatio.

Exultatis, nempe ut in statere salutis vestræ, olim revelandæ, juxta v. 6. cujus sensum hic ulterius explicat.

Gaudio ineffabili. Internum enim mentis gaudium, â Spiritu S. ortum, ob dulcedinem gratiæ divinæ, ut supernaturale est, ita signis verborum nullis potest exprimi apud eos, qvi illius inexperti sunt.

Glorificata, apud Deum, nempe in divinâ approbatione & decreto, glorificanda vero apud homines publice, cum revelaverit Christus salutem nostram. Simpliciter autem hic in præterito dicitur glorificata ob certitudinem rei, qva etiam futura gloria tam nobis certa est, qvam si nos penitus jam circumfudisset.

v. 9. *Finem.* Non significat h. l merum terminum, in qvo fides desitura est, sed & scopum, quo fides collimat & qvem obtinet.

v. 10. *De qva salute scrutati sunt.* Cum enim Spiritus S. ipsis revelaret ea, qvæ de adventu Christi ejusqve officio vaticinati sunt, nullum dubium est, qvin

&

& ipsi desiderio tacti sint, ulterius de tempore & circumstantiis hujus rei aliqvid sciendi.

De gratia erga vos, nempe dispensata, scilicet de vocatione novâ gentium & colligenda per gentes Israelitarum ac Proselytorum Ecclesia.

V. 11. In qvod & qvale tempus, scil. incideret hæc gratia, qvæ vobis nunc in prædicatione Evangelii obtigit, seu ut presius inhæreamus constructioni, in qvod tempus incideret, qvod manifestabat Spiritus Christi.

Spiritus Christi. Denominat Spiritum Propheticum â Christo, non tam qvod ab illo procederet æterna processione, de qva h. l non agit, sed qvod de Christo testaretur & de temporibus Christi, ideoqve huc potissimum â Christo progressus considerandus hic est, qvi ipse adventum ipsum annunciari voluit.

In Christum. Singularis hæc est constructio, qvalis non alibi occurrit, neqve ex vi vocum aliter explicari potest qvàm de passionibus, in Christum currentibus, aut redundantibus. Qva ergo constructione videtur consulto usus esse Petrus, ut passiones etiam illas, qvæ fidelibus infliguntur propter nomen Christi & sic in ipsum Christum redundant, Act. IX. v. 5. & Col. I. v. 25. hac notione pariter complectatur, qvia inde occasionem dicendi habuit inde â versu 6.

Glorias. Iterum in plurali loqvitur, ne tam gloriam Christi, qvam in sua persona nactus est sessione ad dextram DEI, qvam gloriam fidelium, qvi cum Christo regnaturi sunt, pariter complectatur; sicut de illa gloria egit superius.

V. 12. Quibus, nempe Prophetis. *Illa ministrabant*, men-

nempe qvæ prædixerant de passionibus & gloriis Christi, non enim sua caussa vaticinati sunt, sed (1) populi caussa, qvi hac spe posteritati promissa debebat erigi, maxime vero illorum caussa, qvi eventum hunc experturi in his vaticiniis fidei suæ confirmationem qværere debuerunt. Atqve non loqvitur præcise Apostolus de ipso vaticinio Prophetarũ, sed de rebus, qvas prædixerunt illi, qvod ipse ille eventus suæ ætati servatus sit, ut ipsi potius qvam vel majores vel posteri in illa tempora inciderent; & illa caussa est, qvare de isto tempore scrutati sunt Prophetæ, qvia ipsi res illas experturi non erant. *In Spir. S.* i. e. virtute Spir. S. cujus miraculosis charismatibus instructi erant Evangelii præcones.

Misso cœlitus, nempe nunc copiosius qvam unqvam antea, juxta vaticinium Joelis, qvod laudat idem Petrus, Act. II. v. 17.

Inqve, nempe mysteria, qvondam prædicta, nunc in actum deducta. Sanctis Angelis enim adveniens tempus complendarum harum prædictionum notum erat & egregie de illo gavisi sunt, ut patet Luc. XXI. v. 13, seq. Addit hæc Petrus, ut eo magis fideles inter adversa sua felicitatem temporum suorum intelligerent, qvippe qvam & Angeli tanta cum delectatione intuerentur.

Intuers. Sollicitum hæc vox significat intuitum, qvi fit corporis etiam ad objectum inclinatione, non leve hæc contemplandi desiderium, sed ut magnum atqve dulce arbitrarentur esse Angelis, in omnes totius œconomiæ divinæ caussas sollicite inqvirentibus.

v. 13. *Propterea.* Incipit hic prima pars Argumenti ejus, qvod in hac Epistola est palmarium, nempe adhortatio

tio ad bonos mores & officium hominis Christiani recte explendum, qvam adhortationem deducit ex præstantia Christianismi, ut conclusionem ex caussa, qvam deinceps aliis argumentis confirmat. Est enim recta & sancta hominis vita finis beneficii divini & regenerationis & spei nobis concessæ, etsi non primarius, tamen secundarius, qvia ad illum Deus nos obligat, cum gratia sua nos donat.

Cincti lumbos. Metaphora desumpta ab usu illorum temporum, qvo qvi vestes habebant oblongas & fluidas, cinctura se aptabant ad ministerium, juxta Luc. XVII. 8. Metaphora hæc tamen ad intellectum & mentem hominis traducta videri possit durior, nisi constaret, apud Hebræos freqventem esse metaphorarum usum, qvæ apud nos non æqve apte sonarent, si ex nostro loqvendi more rem metiremur. Significat vero promptitudinem & alacritatem animi, ut sicut promti sunt corpore, qvi cinguntur, ita nos animo ad ministerium Deo præstandum parati.

Jejunantes. Sobrii enim ad res gerendas apti sunt, ebrii autem & bene pasti cerebrum vaporibus obrutum habent. Qvia vero velle neqvit Apostolus, ut semper jejuni simus in sensu proprio, etiam hoc de promta animi attentione, qvalis sobriorum est, per metaphoram explicari oportet.

Perfecte sperate. Spes est, qvæ omnem vitæ praxin moderatur, ut illa secundum spem illam instituatur, eoqve sensu hæc dicere Apostolum patet ex versu seqv. Nam si qvid â nobis admittitur contra officium Christianismi, apparet & ipsam, qvam de Christo habemus,

spem

spem vacillare, dum præsentem cupiditatem illi præferimus. Egerat enim hactenus de spe Christianorum Apostolus, ideoq; ad perfectionem hujus spei in omni vita docendam optimus erat verborum transitus. *Affertur in revelationem*, nempe reali ejus fructu tunc demum sentiendo, cujus nunc tantum gustus est, prælibatio est.

v. 14. *Filii obedientiæ*, Hebraismus, pro obedientes vel inobedientes filii. Nam h. l. nomen filiationis aptum est, ut sensui possit includi, etsi alias in tali phrasi non necessariò includitur.

In Ignorantia, i. e. anteqvam Evangelium audivistis & de officio Christi recte informati eratis, aut de spe salutis per ipsum obtinendæ, ubi in res hujus mundi, in ceremonias qvasdam Leviticas & pariter bene vivendi commoditatem defixæ erant cogitationes, quo in statu non potuit non regnare prava concupiscentia variis modis.

v. 15. *Secundum vocantem*. Argumentum hic confirmatorium petitur primum â sanctitate Dei, qvod nos oporteat illi conformes esse. Sanctus autem est, qvi distinctus est ab omni re, qvæ dignitatem ejus vel lædat vel cum re minus digna confundat, & ita cum Deus unice naturæ suæ dignitatem seqvatur, nos qvoque, qvi illi adhæremus, ita qvæ DEO digna sunt, observare debemus, ne qva in re contaminemur, qvæ dignitatem DEI in illis, qvi filii ejus sunt, & ipsi adhærent, lædat seu nos ab illa adhærentia abstrahat & profanos reddat.

v. 16. *Scriptum est*. Occurrunt hæc verba Levit. XI. 44. ubi de prohibitis reptilibus agitur & Levit. XIX. 2. ubi de honore Parentum, servandis feriis, vitandis idolis, sermo est, adeoqve tam de lege ceremoniali quàm morali, sed

qvia Deus populum suum non tantum moribus honestis, sed & externis ritibus voluit ab omni alio populo secretum & sic Deo sanctum esse. Postqvam vero ipsi Petro voce cœlesti dictum est, Deum jam illa mundasse, qvæ olim erant profana, Act. XI. 1c. neqve amplius eam velle inter Israelitas & Gentes distinctionem, qvæ fuit antea, necessum est, hanc sententiam ad solam morum honestatem applicari, uti hic applicavit Petrus, inde docens qvam conveniens sit, ut ad nutum Dei Patris se componant Filii adoptati.

Patrem judicem. Tum judicem inter filios, ut unicuiqve præmium distribuat, majus minusve pro accuratiori obedientia, tum inter filios & extraneos, ne immorigeros plane & ad impietatem infidelium prolapsos ulterius pro filiis agnoscat, sed pariter excludat cœlesti hæreditate, uti excludit eos, qvi nunqvam gratiæ paternæ fuerunt participes. Etsi enim obedientia operum nec conciliat nec conservat adoptionem, proterva tamen inobedientia facit, ut dissolvatur.

Sine προσωπολημψία. Hæc est, qvam Christus Johann. XVII 24. vocat κρίσιν κατ' ὄψιν, judicium secundum visum, & opponit judicio justo, qvo nempe non ex meritis causæ, sed ex affectu peculiaris vel amoris vel odii judicamus, ut nempe huic conceditur, qvod alteri, parem causam habenti, negatur, ideoqve judicium DEI hoc Adverbio denotatum excludit omnem absolutam gratiam Calvinianam, qvâ volunt Deum sine causa omni homines vel accipere vel odisse.

In timore, i. e. justa cautione, ne excidatis gratia, qvam nacti estis, per petulantem vestram & carnalem

securitatem. Etsi enim de Dei fide dubitare aut inde sibi timere non possunt fideles, de se ipsis tamen dubitare & ab insidiis Satanæ & mundi sibi timere possunt, ne se illis patiantur abripi.

Peregrinationis. Ita vocat tempus vitæ nostræ in hoc mundo, qvia nostrum πολίτευμα sive jus civitatis est in cœlis, â qvibus, dum vivimus, qvasi peregrini exulamus in exspectatione & spe, qvam descripserat, v. 3. sqq. Hoc verbo animus erigitur fidelibus ad ferenda & superanda omnia mundi tentamina, dum meminerunt esse illas parvi temporis & qvasi itineris tantum molestias qvas in hoc mundo spe felicis adventus ad locum, qvem petimus, facile tolamur.

v. 18. Novum argumentum proponit a dignitate redemptionis nostræ, qvam destituere, aut non digno obsequio venerari turpe fuerit. Si enim tanto pretio in eum statum asserti sumus, nihil nobis vel grave debet vel pretiosum videri, qvod non lubenter velimus impendere, ut digni sint tanto beneficio fructus, qvos proferimus.

Corruptibus. Qvorum lucrum tanti non est, neqve jactura tanti, ut multum debeat animos movere, qvia & nos illis perimus, cum morimur, thesauris hic relictis, & illa nobis; qvando cum toto mundo tandem omnia conflagrabunt.

Ex vanâ conversatione. Ex illa mentis cœcitate & cupiditate voluntatis prava, qvibus subjecti eratis, ita ut ipsi non potueritis ad meliora adspirare. Nam propterea redemptione opus fuit, qva ipsi se homines inde expedire non poterant. Hæc vana conversatio ut mater condemnationis æternæ opponitur meliori sanctitati

tum

tum fidei tum morum, qvam nunc ſeqvi jubet Apoſtolus, docetqve priorem iſtam vivendi turpitudinem & infelicitatem eo magis nunc vitandam eſſe, ne denuo in eam relabantur, qvanto majoris conſtitit Deo, ut inde in libertatem ſanctioris vitæ aſſerentur.

A Patribus accepta. Valet id qvidem in omnibus gentilium moribus, ut idololatriam & vanos mores ſequantur, ceu a parentibus & majoribus didicerunt, at h. l. cum ad Judæos ſcribit Apoſtolus, ſpecialiter intelligit eam mentis occœcationem, qva in obſervatis externis qvibusdam ritibus zeloſi, veræ autem pietatis, fidei & juſtitiæ negligentes erant, contra Matth. XXIII, 23.

v. 19. *Sed pretioſo ſangvine.* Hæc pretioſitas opponitur argento atqve auro, adeoqve iis, qvæ inter homines pretioſiſſima ſunt, ut ſumme pretioſa; opponiturqve iisdem ut corruptibilibus, adeoq; tanqvam incorruptibilis, cui nec nos perimus, cum aſperſam ſangvine Chriſti conſcientiam, etiam poſt mortem deferimus ad tribunal DEI, ut inde ſalvemur, & qvod neq; nobis perit, evectum ſcilicet in perſona Chriſti, ut pars corporis ejus humani, ad æternam gloriam Patris.

Ut agni immaculati. Talem enim oportebat eſſe agnum, tum Paſchalem tum omnium ſacrificiorum, in qvibus omnibus typus erat Chriſti, utqvam perfectiſſimè inculpabilis. Eoqve epithetho pretioſitas ſangvinis Chriſti ulterius demonſtratur, qvod nullo omnino defectu pretioſitatis laboret, imo is ſit, qvo omnia ſacrificia tanqvam ad antitypum perfectionis & unicum adeo verum mundi pretium reſpexerunt.

v. 20. *Præcogniti.* Recte verteris: de qvo nobis

prospectum fuit divinitus. Nam προγνωσις divina includit decretum providentiæ, cui h. l. lapsus Adamitici conscientia innititur.

Manifestati, i. e. venientis in mundum & explentis realiter qvæ de ipso prædicta erant aut decreta in providentiâ divinâ. Manifestatus igitur est, dum se ipsum conspiciendum dedit per mortem & resurrectionem suam.

In ultimis temporibus. Ultima dicuntur respectu ætatis, quæ præcessit, longioris. Itaque cum post Christum natum jam tantum temporis effluxit, ut alteram partem fere faciat temporum ante Christum natum, nec dum certum est, quam prope immineat dies mundi extremus, non possumus nisi in magna verborum catachresi ultimam ætatem mundi intelligere, multo autem commodius ultimam ætatem politiæ Judaicæ, quæ jam tum admodum imminuta propediem interitum expectavit, qui sub Vespasiano secutus est.

Propter vos. Notat hic gratiam DEI erga suæ ætatis homines, qui Filium eo tempore miserit, quo ipsi magis quam illorum vel majores vel posteri prædicatione Evangelica, ejus mortem secutura, ad fidem vocarentur & ad capiendum solatium complementi vaticiniorum. Conf. exemplum ad Hebræos cap. XI, 14. ubi eandem felicitatem ætatis suæ prædicat Apostolus. Addit autem hæc verba, ut eo magis urgeant argumentum sanctitatis, à pretiosa redemptione Christi desumptum, quia in illo elucet peculiaris erga istam ætatem hominum, & sic ipsos in individuo consideratos, gratia.

v. 21. *Per ipsum*, i. e. ejus medio & virtute, qui nempe ad veram Deo fidem habendam â majorum corruptis traditionibus non fuissetis adducti, nisi venisset Christus & in se ipso dedisset complementum vaticiniis & documentum spei futuræ per ipsum resurrectionis & salutis nostræ.

Excitantem ipsum, atque adeo sic probantem, qvæ sit virtus mortis ejus, quaque & vos excitandi sitis â mortuis, cum in illum creditis.

Gloriam ipsi dantem, ut exaltatus ad dextram DEI nunc Rex & Caput vestrum sit, adducturus membra sua illuc, ubi ipse est.

Ut fidem. Repetit hæc, ut firmitatem & certitudinem fidei ipsorum innuat, qvi ut isto medio fidem conceperunt, ita nunc servant fixam & illibatam.

v. 22. *Animas vestras.* Hæc adhortatio repetitur, ut conclusio ex hoc argumento præcedente desumta.

In obedientia veritatis. Ut nempe fidem, quam concepistis, ipsa praxi exerceatis & probetis & exprimatis, ne qua in re quid fiat, unde videamini veritatis divinæ obliti esse.

Per Spiritum, vobis concessum, unde & fidem & omnia bona proficisci oporteat. Spiritus suggerit, jam homo debet id agere per virtutem Spiritus, quod ille suggerit & id in actum deducere, non vero negligere.

In amorem fraternum. Ut nempe amor in vestris animis talis accendatur ex fide. Nam si Filii estis Patris cœlestis, qvem invocaris, & redempti Christi, jam omnes vos fratres esse nostis, peculiari modo atq; vinculo vobis connexi, ideoqve & amore fraterno opus est.

Ex puro corde, i.e. non alium finem respiciente, nec ab alia caussa moto, qvam fraternitatis Spiritualis in accepto communi beneficio.

v. 13. *Regenerati.* Connectitur superioris versus adhortationi hæc tertia ratio, qvia regeneratio, unde Filii Dei & Fratres invicem Spirituales facti sumus, æternæ virtutis sit, qvippe ex incorruptibili semine facta, adeoq, eo pretiosior nobis esse debet, ne ipsi ejus beneficio nos subtrahamus, qvæ per se nulla ætate elanguet.

Ex semine. Uti generatio carnalis ex semine fit, ita nunc eadem voce per Metaphoram utitur circa regenerationem Spiritualem.

Λόγε ζῶντ@. Adjectivum hoc non regitur à substantivo suo, ut denominet Deum, sed denominat λόγον, ut patet ex seqv. conjunctione, καὶ. Nam quod verbum DEI esse velit, qvi in æternum manet, patet ex v. 21.

Manetis. Manet verbum DEI in æternum, qvatenus mens & consilium DEI est nunquam irritum, sed in æternum vim suam exerturum. Non igitur renascimur Deo, ut ad certum tempus vita spiritualis nobis determinetur, deinde vero adoptio solvatur, sed ut illa maneat perpetuo.

v. 24. *Qvia.* Probat, qvæ dixerat de æternitate verbi divini, ex verbis Scripturæ V.T. ex Esaiæ XL. 6. 7. 8. ubi Propheta de ministerio Johannis Baptistæ agit, atq; prædicationis & regenerationis per illum faciendæ necessitatem ex oppositione carnis & verbi divini ostendit, quæ eadem verba sua facit Petrus, ut opponat carnalem nativitatem Spirituali, ut peribilem permanenti, qvod enim naturaliter nascitur, ad breve tempus nascitur.

tur, qvod vero Spiritualiter nascitur, ad perpetuum effectum renascitur.

Caro. Familiare est Hebræis nomine carnis & sanguinis specialiter denotare hominem & sic qvoqve in altero commate, qvod pro more Hebræorum prioris est exegeticum, de homine explicatur.

Gloria, nempe naturalis, qvæ à naturali hominis constitutione est.

Exaruit. Præteritum pro præsenti, qvo Hebræi carent, qvasi dicerent, mox accidet, ut emarcuerint.

v. 25. *Hoc est verbum*, nempe ex intentione ipsius Prophetæ, qvi hæc verba protulit de ministerio Johannis Baptistæ agens, adeoqve de Evangelio Christi venientis in carnem.

CAP. II. v. 1.

Deponentes igitur. Concludit hoc ex argumento, qvod v. 23. capitis superioris proposuit, nempe qvia regeniti erant & sic, ut infantes recens nati, ad aliam vitam educandi penitus etiam se ita gerere debeant, ut relicto omni vetere vivendi more pravo novis virtutibus enutriantur.

Malitiam &c. Qvorum omnium incapaces sunt infantes recens nati; nam *Malitia* h. l. non significat peccatum Originis, qvippe qvod non deponi potest sed pertinaciam & consilium animi pravum. Enumerat autem illa vitia, qvæ adversa sunt amori fraterno sincero & puro, qvem commendaverat v. 22 Cap. superioris.

v. 2. Lac est alimentum infantium, unde adeo denominat doctrinam Christianam per Metaphoram, sicut & Paulus I. Cor. III. 2. Heb. IV. 13. cujus desiderium commendat

mendat practicum, ut qvemadmodum infantes id imbibere sibi studeant, ejusqve fruitione unice delectantur, ita quoque hoc lacte sui fideles frui desiderent & penitus in animum imbibere.

Sincerum, i.e. genuinum sine admixtione falsi, uti Paulus II. Cor. IV. 2. gloriatur, qvod non dolo aliqvo corrumpat verbum DEI.

Rationale, i. e. lac mentis & conveniens menti, ut opponitur lacti corporeo, perinde ut ad Rom. XII. 1. rationalis cultus opponitur hostiis corporeis brutorum. Si qvis explicare velit per id, qvod rationi conveniens est, hoc sensu poterit, qvod nempe lumen rationis non melius perficiatur & illustretur, qvam doctrinâ Spiritus S. de virtutibus Christianis, qvibus certe ratio naturalis non contradicit, etsi multorum ratiocinatio contradicit. At etsi sententia talis vera sit, non videtur tamen isthuc respexisse Apostolus, certe qvod respexerit, nullum est in textu indicium.

In illo crescatis. Hebraismus, pro: per illud crescatis, ut scil. verbum Dei tanqvam lac mentis vestræ vobis prosit ad augmentum spirituale capiendum in vita, ad qvam regeniti estis, i. e. ad sanctificationem vestram indies majorem.

Si qvid gustastis. Continuatur Metaphora desumta â lacte. Ut enim infantes id tum maximè desiderant, cum dulcedini ejus jam assveti sunt, ita etiam cupido verbi divini debet in nobis augeri, qvo magis illud gustavimus; propterea dicit, se ad id hortari, qvia supponit, qvod jam experimentum cœperint hujus dulcedinis & sic ad illam amplius habendam facile trahantur. Conf. similis Phrasis Ebr. VI. 5.

Benignum

Benignus, uti mater infanti benigna est, eumeum lacte suo alit.

v. 4. *Accedentes.* Novum argumentum desumit â nova Metaphora, ad unionem nostram cum Christo exprimendam, occasione usus prioris Metaphoræ, juxta qvam & infantes ad lactantem matrem accedunt.

Lapidem vivum. Hi lapides alias dicuntur, qvi in ipsa terrâ crescunt, rupes & partes rupium, ab arte factis hoc nomine distincti, ut & ab aliis, qvi dudum â terra avulsi sunt, aut qvomodocunqve coaluerunt, qvibus semper & firmiores & pretiosiores habentur. At h. l. Apostolus occasionem sumit vocis transferendæ ad veram intellectualem vitam, qvalis Christo & fidelibus ejus competit, uno Spiritu cum capite suo adunatis.

Reprobatum, tanqvam ineptum ad fundandum aliquod ædificium, i. e. rejectum, qvod non videretur verus & idoneus Messias, unde & in crucem actus est â Judæis.

v. 5. *Et ipsi ædificamini*, i. e. injungimini Christo, recumbentes in ipsum animo & fide, ut lapis lapidi imponitur, cum ædificium exsurgit, ut sitis ædificii hujus partes.

Domus Spiritualis, i. e. Ecclesia Christi, qvæ consideratur collecta ex membris suis, ut domus ex lapidibus exstructa, dum omnes uni fundamento nempe Christo innituntur. Conf. Eph. II. 20. seq. H. l. autem vox *DOMUS* peculiariter significat templum, ut explicatur Eph. II. 20. Nam sanctum illud ædificium, coram qvo positum erat altare holocaustorum, peculiariter apud Judæos vocabatur *DOMUS DEI.*

DOMUS templi, vel κατ' ἐξοχὴν *domus* Spiritualis dicitur hæc domus, qvia â Spiritu S. exstruitur & per ejus virtutem & consensum fidelium in eodem Spiritu formaliter cohæret.

Sacerdotium sanctum. Hæc vox adjecta priori confirmat, qvod per domum intelligatur templum. Sumus autem templum Dei, cum sumus sacerdotium ejus. Ubi enim sacerdotibus licet offerre sacrificia, ibi templum est. Et sumus ipsi Sacerdotes, dum offerimus hostias spirituales, & templum, dum in nobis habitat Spiritus S.

Spirituales hostias, i. e. hostias Spiritus S. dum nos ipsos omnem voluntatem, conatus, actiones & qvicqvid possumus, Deo offerimus ad laudem ejus & obseqvium perpetuum, juxta Rom. XII. 1.

Per JESUM Christum, qvia ille fecit, ut accepta essent. Suaq; intercessione porro facit, ut nos simus accepti Deo, qvatenus Christi sumus & illi adhæremus.

v. 6. *Propterea.* Nempe ideo Christus lapis dicitur angularis, qvia nos ad illum adjici debuimus, ut exsurgeret ædificium spirituale.

Continetur. Verbum hoc impersonaliter acceptum proprium est citationibus Scripturarum; unde locus Scripturæ dicitur περοχὴ, Act. IIX. 32.

In Scriptura, nempe Es. XXIIX. v. 16. ubi aliorum damnatur securitas & in qvo habeatur salutis certitudo, docetur.

Angularem. Angulus in fundamento Domus est præcipuum & unde angulares lapides eliguntur & mole maxi-

maximi & virtute firmissimi, ut ad illos reliqvi in fundamento lapides arctè compingantur, iisqve â latere incumbant. Atqve ita per Metaphoram Spiritus dicitur primum idqve firmissimum fundamentum novæ domus S. Ecclesiæ exstruendæ.

Non pudefiet. Verbum hoc desumptum est ex versione veteri Græca, qvæ videtur qvidem abire â fonte Ebræo, ubi habetur verbum, יחיש, qvod vertitur, festinabit vel festinare faciet, active, qvia est in Hiphil. Verum qvia hoc occurrit in eadem conjugatione neutraliter sive intransitive significans, ut Jud. XX. v. 37. festinationem mentis, qvæ est in commotione & perturbatione animi, non male interpretati sunt versionis ejus Autores & reddiderunt per pudefactionem, qvia qvi incumbit lapidi recedenti, aut firmam qvietem non largienti, dum turbatur inde, animo pudefit ob male qvæsitum qvietis suæ fundamentum.

v. 7. *Honor.* Ille honor infertur â contrario pudefactionis, per qvam illationem docet Apostolus, se versionem hanc Græcam in voce hac, qva abire videri posset â Codice Ebræo, probare.

Lapidem quem. Nota Grammaticis est enallage casus apud Græcos, qvo nomen seqvitur constructionem particulæ relativæ seqventis, pro lapis.

Reprobarunt ædificatores. Verba hæc desumpta sunt ex Ps. CXIIX. v. 22. ubi recuperationem sui ex malo qvo pressus erat, laudat Psaltes & ostendit, qvod Deus soleat evehere eos, qui premuntur exemplo hujus vaticinii, qvod nempe paria fata futura sint Christi, reproban-

di primum ab hominibus, erigendi tamen postea â Deo, in primum novi ipsi templi fundamentum.

Ædificatores. Nempe Pharisæi & Scribæ, qvi ad amplificandam Ecclesiam Israeliticam laborabant, ita ut & multis itineribus sibi quærerent proselytos, illi rejecerunt Christum Nazarenum, ut ineptum ad id officium, ad qvod missus erat, nec pro mundi Messiâ promisso volebant agnoscere.

Lapis offensionis. Nempe infidelibus, uti supra Dativus positus est, qvi cum his verbis construitur. Ut autem offensio ad lapidem dolorem creat pedi, ita dum offendunt Pharisæi & Scribæ, autoritate Christi nihilominus contra omnes machinationes illorum eminente dolorem sibi, imo confusionem & contritionem seu fractionem pedis i. e. æternum exitium crearunt. Ita fit, ut qvi nolunt partes esse domus in hunc lapidem incumbentis, sed prætereunt, in auspicato admodum prætereant & per illum, dum offenduntur, pereant.

Petra scandali. Idem dicitur his posterioribus verbis, more Ebræorum, ad confirmationem sententiæ. Sunt autem verba hæc de lapide offensionis desumpta ex Es. IIX, v. 14. ubi de moribus Judæorum erga Deum agitur.

v. 8. *Qvi offendunt.* Hæc verba explicationis lõco adjicit Apostolus, ut intelligatur, qvomodo ex vaticinio Esaiæ hæc fiat offensio, nempe qvod dum nolunt credere Evangelio Christi, illo magis exacerbentur, juxta 1. Cor. I. 23. & inde blasphemiis & persecutionibus suis sibi mortem & perniciem æternam attrahant, ut

fiat

fiat ipsis Evangelium odor ad mortem, juxta 2. Cor. II. 16. Minor enim fuisset Judæorum damnatio, si Christus non venisset, nec tantis miraculis & illustri sua prædicatione se manifestum reddidisset. Vid. Matth. XI. v. 20. seqq.

Ad qvod etiam positi sunt. Id est destinati divinitus, uti phrasis illa alibi occurrit. I. Thess. V. Jos. XV. v. 16. Act. XIII. v. 47. Dicuntur autem positi Judæi infideles, qvi credere nolunt, ad id, ut offendant, i. e. ruant & colli dantur isto lapide angulari qvem agnoscere noluerunt, ut fierent pars ædificii spiritualis, sed prætereunt & aspernantur, idqve secundum dictum Esaiæ. Idem igitur dicitur his verbis, qvod I. Thess. II. v. 16. & II. Thess. I. v. 5. seqq. Nempe qvod Christus vindictam sumpturus sit ab his hostibus suis. Non igitur dicuntur positi ad incredulitatem, ut interpretantur versum Calviniani, qvia τὸ: ἀπιθοῦσιν, pertinet ad descriptionem subjecti, illud, εἰς ὃ, autem refertur ad prædicatum.

v. 9. *Vos verò.* Qvæ hic seqvuntur prædicata, desumpta sunt ex Exod. XIX. v. 6. Ut qvæ tunc Moses toti Israeli dixit, qvibus prærogativam ejus spiritualem supra omnes nationes vindicavit, nunc specialiter adstringat Apostolus ad eos, qvi Jesum Christum fide receperunt, exclusis illis, qvi ob incredulitatem illam ruunt in perniciem, iisqve honorum titulis in novo hoc spirituali ædificio, qvo Christo conjuncti sunt, illos excitat efficacius, ut se dignius tanto honore gererent.

Genus electum. Nempe ut continuetur in vobis gratia Divina, ad qvam DEUS qvondam totum populum

Israeliticum vocaverat, qvò essent participes benedictionis Abraham datæ & Ecclesia fulgens prærogativis suis singularibus.

Regium sacerdotium. In Exodo scriptum est: Regnum sacerdotum seu sacerdotale, cujus Phraseos hic fit hypallage, qvia res eodem recidit. Regnum Dei spirituale administratur sacerdotibus & sacerdotes sunt regni spiritualis sacerdotes. Abstractum autem *sacerdotium* ponitur pro Concreto, nempe *sacerdotibus*, qvi scil. in regno Christi offerunt spirituales hostias.

Populus ad acqvisitionem seu peculii. Qvem DEUS sibi peculiariter curæ habet, prout solent filii familias res â patre sibi peculiariter concessas & donatas majore cura complecti, qvam res alias ad familiam pertinentes. Sunt enim fideles â Christo cum effectu redemti, dum in illis scopum suum obtinuit, ideoqve illos præ aliis sua cura complectitur. *Ut virtutes annuncietis.* Nam ille est finis nostræ vocationis, ut laudemus tam gratiam ejus, qva hominibus tam bene cupit, qvam potentiam & sapientiam, qvâ tam bellè & tanto cum robore virtutis suæ rem executus est. Omnia enim hæc, benignitatem, sapientiam, fortitudinem & agendi robur Græca vox, ἀρετὴ, complectitur.

Ex tenebris. Vox hæc plerumqve qvidem refertur ad intellectum, & Hebræo loqvendi more generaliter etiam omnem infelicitatem denotat, sicut contra etiam Lux omnem felicitatem. Et ita optime h. l. explicari potest, qvod â statu infelici fideles sint ad admirabilem felicitatem traducti, de qva potissimum in Exordio Epistolæ egerat.

v. 10. *Qvondam non populus.* Explicat his verbis, qvid sint illæ tenebræ & vocatio ad lucem, qvæ verbis metaphoricis v. 1. præcedere dixerat, nempe qvi ex statu eo, qvo Deum propitium non habebant, in statum meliorem sunt traducti. Desumta sunt illa verba ex Hos. II, v. 23. qvæ qvidem ad vocationem gentilem refert Apostolus, Rom. IX, 25. ita tamen generaliter apud Hoseam præjacent, ut etiam ad conversionem ipsorum Israelitarum respicere possint.

Non misericordiam nacti. Cum nempe nullus vobis mitteretur vel Propheta vel Evangelista, qvi vos aberrantes ad rectum tramitem revocaret.

v. 11. *Adhortor.* Novâ allocutione incipit secundam partem adhortationis suæ, qvâ svadet, ut in variis occasionibus, qvas deinde specialiter enumerat, caveant fideles sibi, ne scandalo sint gentilibus, malamqve de Christianismo opinionem excitent. *Uti hospites & peregrinos.* Scripsit autem ad τὴν διασπορὰν, seu dispersos per Asiam minorem Judæos, qvi in terra non sua vivebant, sed ut hospites incolatum tantum habebant in illis locis, ubi vivebant inter gentiles, adeoqve semper memores esse debebant, qvales habebant actionum suarum observatores, eoqve castioribus moribus esse, ne illis exosi fiant, uti hic scopus denominationis patet versu seq.

A carnalibus concupiscentiis. Vulgatum est, qvod hac voce intelligatur in Scriptura S. id omne, qvod Spiritui S. adversum est & per naturam nobis adhæret, qvalia sunt vitia, qvæ enarrantur Gal V. v. 19. sqq. etiam rixositates, lites

lites, seditiones &c. qvibus homines solent abripi, ut erga proximum & magistratus & familiæ consortes vel rectores male agerent. Respicit enim hoc vocabulo præcipue ad ea, qvæ seqventibus verbis dicturus erat.

Adversus animam. Dum nempe animam perdunt & damnationis æternæ ream faciunt.

V. 1. In qvo maledicunt. Nam seditionis & turbationis status civilis potissimum accusabantur Christiani, cum raperentur ad Ethnica tribunalia, idqve instinctu potissimum Judæorum infidelium, ut vel ex historiis Actorum Apostolicorum patet.

Intuentes, sc. in illam conversationem vestram

Laudent Deum, nempe vel mediate vel immediate, cum c. Christianos vitæ qvietæ, honestæ & pacificæ esse agnocunt, atqve adeo religionem ipsam & Deum Autorem seus laudare & amare incipiunt. Qvæ Christianorum vitæ honestas eo poterat gratior esse Ethnicis, qvo magis ea in re discedebat â moribus Judæorum infidelium, adversus magistratus suos tumultuantium, & denicq; generalem sui persecutionem cum excidio Hierosolymitano sibi attrahentium.

In die visitationis. Visitatio qvando apud Hebræos construitur cum Personis, gratiæ collationem significat, qvando cum rebus vel factis, immissionem plerumqve pœnæ. Vox illa redditur â Græcis Interpretibus, ἐπισκοπή, & dies visitationis s. ἡμέρα ἐπισκοπῆς, in specie dicitur dies pœnæ, infelicitatis aut destructionis. Es. X. v. 3. Jer. IIX. 12. c. X. v. 15. Sap III. v. 7. Syr. XIIX. v. 31. Sic igitur dies visitationis & h. l. erit dies tristitiæ & publicæ calamitatis, qvâ

quâ Deus visitat peccata hominum & punit, nempe tempus illud, qvo vel adversus Judæos generale exsurget Ethnicorum odium, ut passim in omnibus provinciis male habeantur, ceu factum est, postqvàm destructa erant Hierosolyma, ubi tum Judæi Christiani meliorem sibi gentilium favorem conciliasse poterant, ne illos eorundem tumultuum cum Judæis reos æstimarent, vel si ipsa etiam adversus Christianos Romanorum Imperatorum exacerbatio & persecutio intelligatur, invenient tamen Christiani inter Ethnicos, qvi bene illis cupientes eos protegant & latebris abdant, ne publica sævitia ipsos perdat.

Vers. 13. Subordinationi. Uti superioribus duobus versibus in genere jussit mores boni civis induere, ita generalia verba nunc explicat ad eam subjectionem, qva cives majestati & magistratibus suis parent.

Humanæ ordinationi. Græca vox κτίσις ap. profanos Scriptores significat plerumqꝫ condere vel ædificare. Apud Ecclesiasticos Scriptores plerumq; denotat creationem rerum, qvæ DEO propria est, sæpe tamen & ad qvamvis ordinationem aliam transfertur, uti v. g. Syr. XXXIIX. v. 1. medicus dicitur â DEO institutus esse; it. c. XL. v. 1. & 10. omnis generis mala, pestes, bella &c. Et ita h. l. κτίσις constitutio vel ordinatio est, qvæ dicitur humana, sive objective qvod inter homines, fiat, sive effective, qvod instrumentaliter per horum consilia constituatur, uti sane formæ rerum publicarum ab hominum consiliis, illam constituentibus, pendent, utut non sine divinâ providentia. *Propter Dominum*; qvi nempe potestatem imperandi sibi invicem hominibus dedit, & ut esset

let voluit, nec sine providentiæ suæ consilio statum aliqvem Reipublicæ introduci sinit, adeoqve vult, ut illi pareamus.

Sive Regi, i. e. Imperatori Romano, cui subserant illæ provinciæ, ad quarum incolas scripsit Petrus. Etsi enim Regium nomen invisum Romanis nolebant assumere Imperatores, neq; id inter Latinos ipsis dabatur, apud Græcos tamen scriptores freqventissime occurrit, ut pateat Græcos non dubitasse illos βασιλῆς appellare.

Uti supereminenti, i. e. supremam habenti potestatem supra omnes magistratus provinciarum, in qvibus vivitis.

v. 14. *Sive Ducibus*, i. e. Præsidibus, Proconsulibus, Legatis &c. Romanis, qvi in provincias mittebantur, ut nomine Imperatoris & Senatus Romani isthic jus dicerent & summam potestatem exercerent.

In vindictam. Mittebantur enim ad jurisdictionem, adeoq; ad puniendum sontes.

v. 15. *Ut bene facientes obstruatis*, i. e. ut virtus vestra & boni mores & prona unicuiq; inserviendi voluntas Præsidibus Provinciarum innotescat atq; sic publicam laudem non tantum innocentiæ, sed & optimæ indolis apud ipsos nanciscamini, ne qvis audeat vos calumniari.

Ignorantiam insipientium, i. e. calumnias per ignorantiam fidei & rerum Christianarum effusas. Insipientis enim est judicare de rebus, qvas ignoras, & sic qvoq; male omnia de illis narrare vel credere, qvorum vivendi ratio prospecta non est. Tum hominum ignorantiæ occurritur, cum publicè apud Præsides provinciarum mores vestri laudantur tanqvam fidelium.

v. 16. *Sicut liberi*. Judæorum illa vox erat, qvæ & Joh. VIII.

IIX. v. 33. occurrit: semen Abrahæ sumus & némini servitute subjecti. Putabant enim sibi deberi perpetuam autonomiam & omnem in se dominatum exterorum esse injustum, & in eum finem Messiam exspectabant, ut per illum pristino libertatis usui iterum assererentur. Inde tumultus & seditiones adversus Romanos plurimæ extiterunt. Christus venit, ut in libertatem Spiritualem homines assereret, ut nec legis duritie pressi nec dominio peccati abrepti amplio Deo servirent spontaneo Spiritu & ex propria mentis inclinatione. Hæc libertas asseruit fideles etiam aliqvo modo â servitute hominum, uti patet ex 1. Cor. VII. 23. precio emti estis, ne sitis servi hominum; nempe servitute mentis autoritatibus humanis subjecti; ne scil. ex aliorum sed ex suo qvisqve judicio bene agant. Hæc est illa libertas, qvam in memoriam suis Petrus revocat, qva voluit, ut bonis moribus sint, non tamen ob alienum imperium humanum, sed ex judicio & impulsu Spiritus S. in ipsis operoso. Nam qvi alienum tantum imperium sequitur, non amore sed vi & metu aut bruto obsequio ducitur.

Velamen malitiæ, quasi dicturi: Nostrum non est, ob alienum imperium, sed spontaneo motu benefacere. Non contemnemus leges civiles & imperium gentilium, magistratum, aut rebellionem excitabimus adversus ipsos, sicut Judæi infideles Zelo libertatis suæ excitare solebant freqventer.

Sed ut servi Dei, qvi nempe novimus, nos propterea Spiritu libertatis seu exemtionis â metu legali donatos esse, ut secundum voluntatem DEI & propter illam agni-

tam qvam lubentissime agamus, qvæ recta sunt, atqve adeo & magistratus Ethnicos honoremus, propterea, qvia illa Dei voluntas est.

v. 17 *Omnes honorate*, nempe pro cujusq; conditione, non tantum superiores, sed & pares & inferiores, aliqvo honore, id est æstimatione & æstimationis significatione excipere oportet.

Fraternitatem amate. Procul dubio intelligit eam, qvâ Christiani sibi invicem specialiter conjuncti erant, qvia hi in literis sacris specialiter vocantur fratres. Ideoq; sensus est, unumqvemqve civem vel hominem, qvi cum vivimus, etiam gentilem, esse suo in honore habendum, sed eum honorem non obstare, qvo minus speciali amore conjungantur inter se Christiani. *Regem*, i. e. Imperatorem Romanum, sub qvo vivebant.

FINIS.



PROGRAMMA
Quo
Quæstio excutitur,
AN DEFUNCTI PRO VIVIS INTER-
CEDANT? PROPOSITUM
IN FUNERE ANNÆ MEJERIÆ ROSTO-CHIENSIS
A MDCXCI.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012668711/phys_0213
DFG

CVum ii, qvi in hac vitâ intimâ nobis familiaritate conjuncti ipsismet qvasi oculis nostris nobis chariores fuerunt & à qvibus nonnisi ægerrimè atq; cum naturæ nostræ qvodam horrore avellimur, ex complexu nostro & qvotidiano contubernio, Divino disponente fato, eripiuntur, solatii non exigui partem interpretamur, si menti nostræ, persuasi, sacrarum Scripturarum oraculis id edoceri, repræsentemus: eos nunc in cœlesti palatio degere, liberatos ab omni miseriâ, frui Divinæ majestatis conspectu, nulli amplius ex ullo crimine maculæ obnoxios deniqve summo Numini, tanqvam interiores ejus amicos, mortalium necessitates & desideria supplici prece commendare. Nonnulli existimant, neque à pietate alienum, neqve adversum sanctissimarum Literarum dictatis esse, si, qvi è necessitudine nostrâ decedunt, si à parentibus liberi, à maritis uxores, ab amicis abstrahantur amici, eos credant superstitum facere apud Deum speciatim mentionem, eorumque, quantum in se est, orando supplicandoque gerere curam. *Gregorius*, Nazianzi seculo quarto Episcopus, vir eruditione maximus & longè magis pietate, qvi ob eminentem reverentiam, ut refert *Socrates*, cum passim eo tempore veræ & catholicæ doctrinæ professores pellerentur in exilium, pulsus nunquam est, cum præsente *Basilio*, illo, qui magni cognomentum meruit, Patri suo panegyricum diceret, inter alia leniendi doloris fomenta non obliviscitur intercessionis pro Ecclesiâ, quam per quinque & quadraginta annos rexerat, morte suâ, quæ ei centenario obtigit, non finitæ, sed auctæ potius & roboratæ. Verba, quæ post principium illicò comparent, hæc sunt. *Deinde nobis persuade, qvod ne nunc qvidem Pastor ille bonus nos dereliqverit, qui animam suam posuit pro ovibus suis, sed qvod superstit & pascat ac dirigat proprias & à propriis cognoscatur; corporaliter quidem neqvaqvam*

eo-

comparens, spiritualiter verò nobiscum conversans, contrà lupos pro grege depugnans & nemini permittens, ut caulam furtivè aut dolosè transgrediatur ac voce peregrinâ animas benè constitutas seducat ac decipiat. Et ut ego mihi persvadeo, NUNC MAGIS PROFICIT PRECIBUS, qvam antea doctrinâ. Qvanto enim plus DEO est propinqvior, postqvam vincula deposuit corporalia & à materia, quæ mentem turbabat, est liberatus, nudus cum nudo conversans, nempe cum mente primâ ac purissimâ, taniò magis ordine angelico & fiducia cœlesti, nisi hoc nimis audacter dictum sit, effectus est dignus. Cum de particulari istâ animarum â DEO receptarum pro suis, qvos in hoc mundo reliquerant, intercessione, nihil diserte aut expressis verbis dicere videantur sacræ Literæ, modestiam in affirmando Theologo dignam adhibet: πείθομαι γὰρ, inquit, *eqvidem persvadeor*: pauloque post, si quid confidentius asseruerit, quasi deprecatur: ἐὰ μὴ πλημμελὲς τοῦτο εἰπεῖν, inquit, *nisi forte id asseverare fuerit temerarium.* Causam tamen credulitatis suæ perquam verosimilem adfert, quia per mortem suam vicinior sit redditus Deo atque cum eo, præsens cum præsenti, liberrimè amicissimèque conversetur: nec vero in beato illo statu vel Christianam erga cætum suum charitatem, vel curam, quæ amoris illius, pars est, videatur deposuisse. Exprimam, quâ fieri potest, sensum, à sancto patre sub verborum suorum momentis comprehensum. Cum defunctorum animæ excessu suo non reddantur infeliciores, sed, quo magis â materiæ onere & profectis hinc impedimentis solvuntur, eo majorem adipiscantur perfectionem, verosimile est *Gregorio*, eas hausta in hâc vitâ rerum notitiam in glorioso illo regno adeò non amittere, ut perficiant potius & adaugeant incrementis. Cur enim variam illam, quam multis hic experimentis sibi acquisivere, scientiam in alteram illam vitam non transferant? Cur eos rerum omnium confestim subeat oblivio,

haud

haud aliter ac si ex Lethæo amne, quæ gentilis superstitionis fabula est, bibissent? Si verò Ecclesiæ præsul, qui casus gregem suum, à quo recenter abstractus, cœloque insertus est, vel commoveant, vel adfligant; si conjugum alterutter, quibus cum ærumnis atque miseriis vel conjux hîc relictus, vel liberi, quos instar propriæ animæ tenerrimè diligimus, colluctentur, quam primum beati illius regni incolæ facti sunt, sciverint, quî naturam suam tam subitò exuere, quî deponere στοργὴν illam, tam tenaciter animæ nostræ fibris infixam, atq; adeò, ut ita dicas, ἀναίσθητοι fieri possint, ut non recordentur amplius suorum, ut eorundem abjiciant curam, ut eosdem non ament, neq; salutem eorum, saltem voto quopiam, promoveant? Edocemur ipsius veritatis testimonio fieri non posse, *ut obliviscatur mater filii sui*, & credibile sit, eandem, mortis violentiâ à svavissimis infantibus avulsam, eorum illicò expellere ex mente memoriam & ejurare curam? Aut homines esse desierint, qui moriuntur, aut retineant ea, quæ homini propria sunt, quæq; ab homine, nisi per superiorem & violentam potentiam, de quâ tamen nullo nobis Scripturæ documento constat, separari nequeunt. Hæc jam *Gregorius* ex eo amplius confirmat, quod, qui in æternas illas concedunt sedes, beatarum animarum & sanctissimorum angelorum & supremi denicq; Numinis quotidiano & conjunctissimo consortio fruantur. Jam quis *Gregorio* arbitrante dubitaret credere, animas, immortali gloriâ fruentes, ab animabus aliis, ex eodem loco eò delatis, ipsisq; nonnunquam sanguinis vinculo conjunctis, recentiorem rerum in hoc mundo actarum impetrare notitiam? Si defunctâ hodie uxore tertio post mense decedat vel filius vel frater meus, num immixtus conjugis, aliorumq; è necessitudine meâ societati, nihil de me superstite, nihil de aliis, quos penitissimo affectu complexus fuit, enarrabit? Nihil de me, nihil de libe-

liberis ſuis uxor ex eo, mater ex filio, percontabitur? Si me familiamque meam gravis premat & prope ſupprimat calamitas, anne filius meus amoris, immutabili Divinæ legis decreto mihi debiti, oblitus, pro me Deum haut deprecabitur? Nec conjugem meam, quæ Chriſtianam charitatem in gloriâ non depoſuit, ad ſimile officium inflammabit? Eo cumprimis loco obeundum, ubi & affectus vehementia flagrantius ardet, & preces ab omni imperfectionis labe ſunt immunes & ideò Deus longè quam ad mortalium deſideria exaudienda proclivior? Quod ſi animæ ipſæ officioſæ eſſe & iſthunc in modum vel interrogare invicem vel referre omitterent, ab angelis, in hanc terram euntibus & remeantibus in cœlum, atqve ad thronum Divinum fidelium neceſſitates perferentibus, non improbabile *Gregorio* eſt, beatos nonnunqvam informari. Quorum perpetuæ Dei viſioni & inceſſanti ejusdem laudationi & nunquam interruptæ beatitudini, ſi nihil detrahitur, quod Deo jubente res hominum, quibus ſæpius ipſi interſunt, curant, cumq; Deo & beatis de actionibus in hoc mundo humanis trequenter colloqvuntur, quomodo id obſit beatis ipſis, qui ἰσάγγελοι, id eſt, miniſtratoriis illis ſpiritibus prorſus ſimiles futuri ſunt? Quinimò à Deo ipſo, cui in gloriâ propinqui ſunt, cum qvo nudæ cum nudo, quæ verba Patris ſunt, converſantur, noſcere in familiari colloqvio res hujus orbis poſſe animas, qvantum ſcire ipſis intereſt, perſvaſus fuit *Gregorius*. Id enim qvamqvam in Scripturâ totidem verbis non legatur, qvia tamen ſtatui ipſarum, in amicâ cum Deo, cum angelis, cum beatis converſatione conſiſtenti, videatur conſentaneum, negari ideò non debere; cum ejusdem veritatis ſit ſententia, dicente *Origene*, *qvam in ſacris ſcripturis inveneris, vel qvam ex conſeqventia ipſius indagine ac rectitenore inde receperis.* Comprehendi itaqve non poſſe, qvomodo ſancti retinere

in gloriâ charitatem, ut promiscuè in omnes, ita præcipuè in consangvineos & tamen nec preces cum ipsis sociare, nec eorum ullâ, qvantumvis ab omni miseriâ vacuâ, qvalis & angelorum & Numinis ipsius est, sollicitudine tangi debeant? Proposui hactenus sancti *Nazianzeni*, non nisi sub verisimilitudinis æstimatione, de particulari sanctorum, cœlis receptorum, pro suis interceßione, proditam opinionem. Enimverò neque primus ille fuisse inter antiqvos, neqve postremus, videtur, qvi blandidulâ hac sententiâ emollire mortis acerbitatem conatus est. Seculo tertio *Cyprianus*, martyrii gloriâ insignis, epistolâ ad Cornelium, Fratrem, qvæ inter Pamelianas prima, in recentiori editione sexagesima est: *Memores*, inqvit, *nostri invicem simus, concordes atq; unanimes, utrobique pro nobis semper oremus, pressuras & angustias mutuâ charitate relevemus. Et quis istinc nostrum prior Divinæ dignationis celeritate processerit, perseveret apud Dominum nostra dilectio pro fratribus & sororibus nostris, apud misericordiam Patris non cesset oratio.* Visus fuit *Cyprianus* viro cuidam è nostris doctissimo idem omninò, qvod *Gregorius*, de demortuorum deprecationibus affirmare. Verum *Johannes* nuper *Oxonienßis*, considerato rectius Cypriani textu, de vivorum & superstitum potius martyrum qvam de demortuorum orationibus loqvi pronunciavit. Itaq; sensum verborum dilucidius ita expressit: *alterutro ex nobis obeunte, sive ego, qvi Carthagini præsum, sive tu, qvi Romæ præsides, superstes fuerit, ejus, cui in vivis diutius esse contigerit, pro utraq; Ecclesiâ perseveret & superstit apud Deum oratio.* Eodem tamen, quo *Gregorius* vixit, seculo Eusebius Cælarienßis libro de martyribus Palæstinæ de Theodosiâ virgine, ex versione *Henrici Valesii*: *fidelis gravisq; inprimis puella, nondum octodecim annos nata, ad vinctos qvosdam accessit, qvi regnum Dei liberè confitentes ante Prætorium sedebant; tum, ut eos salutaret, tum, ut quod credibile est, eosdem rogaret, ut*

tum

cum ad Deum pervenissent, sui memores esse vellent. Cum hujus moris tanquam usitati meminerit, opinionem isthanc jam ab aliqvo tempore invaluisse, à fide alienum non est. Unde & in Passione *fructuosi*, Episcopi, qvi sub Gallieno martyrium pertulit, legitur: *cum se excalceasset, accessit ad eum commilito, frater noster, nomine felix, apprehenditq; dextram ejus, recognoscens eam & deprecans, ut sui memor esset.* Succedenti verò tempore, qvo martyrum veneratio in immensum crevit, non particularis tantum unius alteriusq; rei, qvibus limitibus, & timidè qvidem, suam opinationem circumscripsit *Gregorius*, sed omnium, qvæ geruntur, sub sole, rerum notitiam superstitiosa Christianorum pietas sanctis defunctis adscripsit. Unde & compellati primò in omni necessitate infinitis in locis, & dein quasi qvædam auxiliatricia Numina invocati, denicq; cultu religioso adorati. *Augustinus* tamen seculo qvinto *Gregorii* vestigiis libri de curâ pro mortuis qvinto decimo capite ita presse insistit, ut opinionem istam uberioribus argumentis & illustret & confirmet. Qvippe ait, sanctos, beatâ Dei visione gaudentes, ob locorum distantiam, ordinariè & ex se nihil prorsus cognoscere rerum humanarum, Scripturâ dicente: *Abraham nescit nos & Israel ignorat nos.* Sed ideò non subtrahi eis notitiam, extrinsecus accedentem, qvanqvam certis limitibus coercitam. Juvat audire ipsa Augustissimi scriptoris verba, jucunda pariter atq; erudita. *Fatendum est*, ait, *nescire qvidem mortuos qvid hic agatur, postea verò audire ab eis, qvi hinc ad eos moriendo pergunt. Non qvidem omnia, sed qvæ sinuntur indicare, qvi sinuntur etiam ista meminisse & qvæ illos, qvibus hoc indicant, oportet audire.* (Cujus rei in antecedentibus argumentum divitis epulonis exemplum esse voluit, qvi à Lazaro resciverat, epuloni in illâ vitâ benè, Lazaro male fuisse, in eodemq; cum epulone luto ejusdemq; fratres hærere:) *Possunt & ab angelis, qvi rebus, qvæ aguntur hic, præsto sunt, audire aliqvid*

mortui, quod unumquemq; illorum audire debere judicat, cui cuncta subjecta sunt. Nisi enim essent angeli, qui possent interesse & vivorum & mortuorum locis, non dixisset Dominus Deus: contigit autem mori inopem illum & ferri in sinum Abrahæ. Nunc ergo hic, nunc ibi esse potuerunt, qui hinc illuc, quem Deus voluit, abstulerunt. Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua, quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse, & quæ necessarium non est eos non nosse, non solum præterita vel præsentia, verum etiam futura, Spiritu Dei revelante, cognoscere; sicut non omnes homines, sed Prophetæ, dum hic viverent, cognoscebant, nec ipsi omnia, sed qua illis esse revelanda Dei providentia judicabat. Pulcrè eqvidem; qvamqvam & Augustinus Gregorii exemplo hanc suam meditationem non venditet pro doctrinâ Ecclesiæ, sed pro opinatione privatâ: *ut volet* ait, *accipiat quisque, quod dico,* Sunt in Romanâ Ecclesiâ, qvi si hæc vel sententia vel conjectura concedatur, immotâ seqvelâ vel adorationem sanctorum, vel certè compellationem eorundem concludi proclamant. Conatu eqvidem inani, si non stolido. Qvod enim istud est conseqventiæ idolum: Sancti in cœlis ab aliis vel sanctis vel angelis aliqvando intelligunt, qvid à vivis agatur in terris; erga à vivis sunt vel adorandi vel invocandi? Qvis ferat ita argumentantem? Thomas Cajetanus dum Augustæ Vindelicorum versabatur, partim per epistolas, Româ ad ipsum missas, partim per homines, Româ Augustam proficiscentes, cognovit, qvid rerum Leo X. Romæ gereret. Ergo à Leone X. vel adorari debuit, vel invocari. Titius Lipsiæ bonis literis navans operam, per amicos Rostochio subinde Lipsiam venientes, perq; nuncios publicos resciscit, qvid Sempronius Rostochii agat, qvibus prematur fatis, qvâ cum paupertate luctetur. Ergo Titius à Sempronio, qvasi præsens à præsente, compellari rogariq; ore & conceptis precibus debet, ut causam suam apud Senatum promoveat, succurratq; ipsius necessitati. Utcunq; verò va-

næ

næ istius consecutionis prodigium illam *Gregorii & Augustini* opinionem nullo modo labefactet, dispiciendum tamen serio est, ne opinationes, non sufficienti fundamento nixas, in argumento præcipue circa mortuorum statum, in doctrinas Ecclesiæ sub necessitate qvapiam credendas, qvibus adversarii facile qveant abuti, convertamus, cum affectus circa mortuos, qvos dileximus atq; coluimus, excessu plerumq; laboret, nec qviescat facile, qvin ea fuerit molitus, qvæ & Numinis ipsius honori adferant detrimentum. Si, qvi ex ædibus nostris, ex complexu, ex brachiis, in cœleste illud regnum, nobis invitis & exqvisito dolore confectis, abierunt, qvidpiam nostrarum sciunt rerum; si aliqva supersit in eis orandi pro nobis cura, hoc nos in obitu nostrorum erigamus solatio, qvod moriantur qvidem mundo, ne eorum amplius fruamur operâ, vivant autem Deo, ut majora ab eo nobis impetrent beneficia. De filiolo suo, immaturâ morte abrepto, præclarè de sacris, imprimis antiqvitatis, studiis meritus Theologus: *Mortis memoriam tantum abest ut fugerit, ut eodem potius die, qvo decessit, matri, (me interea in templo sacris operante) stipulatâ manu promiserit, se in cœlo pro parentibus, sororibus, cognatis & amicis Deum assiduè deprecaturum. Nec dubito, promissis eum jam stare & nos superstites intercessione tam charæ animæ, in virtute meriti Christi, unici mediatoris nostri, (per qvem solùm & ejus & nostræ preces Deo sunt acceptæ) frui non minus, ac si inter nos viveret.* Addit consvetam veteribus modestiæ notam: *ita qvidem spero; cui alia mens est, sensu suo abundet.* Si verò nulla planè sanctis in cœlo animabus est rerum terrenarum, nec ex aliorum qvidem narratione, notitia, si nec ullo miseriarum nostrarum sensu tanguntur, non ideò persvasio nostra erroris, qvi ad infernum præcipitet, qvi salute excludat, damnanda erit. Qvicqvid enim pro consolatione nostrâ ab amicis, in ætherias hinc sedes migraturis vel petimus vel speramus, qvicqvid

ipſis, inter cœlites receptis, pro nobis noſtrisq; precum adſcribimus, id ab animo proficiſcitur, in Dei unicè voluntatem directo, ut ſi id verbo revelato repugnet, ſi beatitudini cœleſtis ſtatus adverſetur, id nec dictum velimus unqvam, nec petitum. Si placuerit Divinæ bonitati, ut liberatæ à corpore animæ & à curâ ſimul omni & omni rerum moleſtarum triſtiumq; ſcientiâ ſint liberæ, gratulemur ipſis hanc collatam in eos à Deo felicitatem, neq; deſideremus, eas ullis noſtri causâ curis amplius involvi; ſi verò volente, qvi velle id utiq; poteſt, Deo, rerum adhuc humanarum curis immixtæ, preces ſuas cum noſtris conjungunt, cogitemus, rationem nullam eſſe, cur id deſiderare non ipſæ debeant, cum cœleſtis gaudii magnitudinem augeat, ſi benè cum Eccleſiâ, cum Rep. cum neceſſitudine ſuâ agi, etiam adminiculantibus ipſorummet ſupplicationibus, intelligunt, nec perfectionem felicitatis imminuat, ſi ſiniſtri illis qvidpiam accidere audiunt, niſi forte & Dei ipſius atq; Servatoris noſtri beatitudini detrahat, qvod calamitates fratrum ſuorum exactiſſimè cognoſcit, aut angelorum proſperitati obſit, qvod adverſitatibus piorum ipſimet interſunt, aut Abrahamo dolorem attulerit, qvod epulonem, citra dubium ex poſteritate ſuâ nepotem, in æternæ miſeriæ flammis conſpexerit. Præfari hæc volui, dum indicendum mihi funus eſt, ſi qvodqvam, perfuneſtum certè & acerbum; cujus luctus cum nullo facile ſolatio poſſit levari, qvid mirum eſt, conſternatum dolore animum advocare ſubſidia, qvæcunqve adverſis perfugium præbere vel qvalecunq; poſſint? Luctuoſum eſt, amittere uxorem, qvæ te impenſè amaverit, qvæ ſollicitè foverit, qvam ut tuummet pectus dilexeris, cujus virtutes unicè æſtimaveris. Lacrymabile eſt, ſpoliari conjuge, cujus ſvavitatem, ceu inæſtimabiles delicias, vix guſtaveris, à qvâ vi qvadam abſtraharis, priusqvam in honeſtas, qvas ſperaveras, voluptates te immiſeris. Neq;

dero-

derogare dolori, sed vires eidem addere videtur, si versetur, qvasi memoriæ qvoddam monumentum, ante oculos delibati qvondam amoris pignus, cujus intuitu boni amissi qvovis momento recordemur, qvodq; acerbum animi nostri cruciatum qvotidie qvasi refricet, & recentem reddat. Crudeli sit pectore, qvin BERGKII nostri fatis ingemiscat, qvin dolori addat Christianum, justumq; dolorem! Nos verò qvod unicè possumus, extremo Fœminæ æstimatissimæ honori, vitæ, breviter qvidem, sed non sine summâ laude gestæ, cippum erigamus; nec id nostris, verum Amplissim mariti, qvamqvam inter immensi doloris, animum pariter manumq; & calamũ turbantis, confusiones profusis verbis. *Nata illa mea dulcissima nunc desideratissima conjux est, Anno O. R. MDCLXXII. d. XIX. Mensis Martii, Stralsundi, Patre Viro Nobilissimo & Amplissimo, Dn. THEODORO MEJERN: Patricio & Senatore ibidem primario. Matre fœmina Nobilissima ac Virtuosissima, MARGARETA PANSAWEN. Avus paternus exstitit Vir Magnificus & Excellentissimus Dn. THEODORUS MEJER, JCtus, Regiæ Pomeraniæ Consiliarius Provincialis, & Consul per multos annos Stralsund. Gravissimus, Hereditarius in* Sommerfeld/ Mücht/ Neuen Pleen & Landesdorff. *Avia Materna, MARGARETHA* Andrään/ *fœmina gente & mente splendidissima. Proavus paternus fuit Vir Nobilissimus & Excell. Dn. THEODORUS MEJER, J. U. D. primùm Civitatis Gryphiswald. Syndic. graviss. deinde Serenissimorum Ducum Megapol. DN. CAROLI & DN. ADOLPHI FRIDERICI, Consiliarius intimæ admissionis; Proavia, ANNA* Schmiterlawen/ *Patriciæ gentis apud Stralsund. laudatissima fœmina. Avum maternum laudat beata nostra Virum Nobiliss. & Ampliss. DN JOACH. PANSAU, Senat. qvondam Stralsund. primum & benemerentissimum. Avia materna adhuc superstes (qvam DEUS diutissimè servare velit) est Nobilissima matrona, DOROTHEA, è celeberrimâ apud Stralsund.*

Michel-

Michelsen familia oriundâ, cui Deus solatio sit. Vix enim duorum mensium spatium elapsum est, quo & ipsa dulcem ex filiâ Nepotem, maximæ spei juvenem, JOACH. HENR. MEJER, piè defunctæ meæ conjugis fratrem unicum, non sine insigni dolore amisit. Proavus Maternus exstitit, Vir Amplissimus, Nobiliss. Dn. JOH. Pansaw / Senator & Camerarius Stralsundæ primarius. Proavia materna, MARGARETHA Dammen / quæ & ipsa ex vetusta & clarissimâ gente originem traxit. Plures recensere tantarum familiarum Majores, nunc merito supersedeo, ne quod virtutis pretio, modestiæ, castitati, pietati, piè defunctæ debetur, aliunde videamur derivare velle. Quam primum lucem hujus mundi beatissima mea adspexit, fonte baptismi aspersa & nomen ANNÆ adepta est. Sic Christiana facta, simul per vitæ tempus, (quamvis hoc proh dolor, nimis breve fuit) cruciana facta est. Vix enim quintum annum egressa se parente optimo orbatam vidit, quem anno post mater secuta est. Inde tamen non honestâ tantorum Majorum virtutibus conformi educatione privata fuit. Mox enim adstitit & parentum vices plenè & egregiè supplevit avia Materna optima, nihil ad benè & virtutibus ornandam nostram reliquum faciens. Cum vero ipsa per ætatem nunc ingravescentem reliqua, quæ adultior ætas requirit, superaddere non posset, hic Rostochium nostra venit & à Viro Magnif. ac Excellent. DN. MATTHÆO Liebhern / JCto, Magnorum Principum Consiliario & hujus Reip. Consule Senatore, ejusq; conjuge, matrona nobilissima, pièq; defunctæ matertera, benè excepta & ad continuandum virtutis cursum admonita est. Quem cum strenuè ac felicissimè mea desideratissima perfecissent, motus ego ejus pietate, modestia, castitate, ac reliquis ei innatis & maximè conspicuis virtutibus, illam vix annum decimum septimum adimplentem, tori sociam desideravi ac consecutus sum, A. 1689. Mense Majo. Sed hocce meum conjugium, proh dolor, nimis breve fuit. Dum enim ante octiduum me parentem filiæ jucundissimæ fecit, ipsa in primo partu

præ-

præter omnem spem exstincta est, sicq; dum alii vitam dedit, hanc cum æternâ commutavit. Quales ego jam ex hocce præmaturo obitu meæ dulcissimæ ac optimæ conjugis sentiam dolores, Deo soli, cordium scrutatori, notum est. Angustiæ interim cordis, imo ipsæ lachrymæ, plura scribere prohibent, meq; hic subsistere cogunt. Nec ignorare nos decet morbi, qvi se parturientis pariter morientisq; corpori insuperabili malitiâ insinuavit, initia & progressus. De qvo Nobilissimum, Celeberrimumqve Medicum, DN. BARNSTORFIUM, qvam nos ipsos præstat audire. *Ad morbum, inquit, quod attinet, acutissima fuit Febris; quæ altero post partum die accedens, tenerum alias piæ defunctæ Nostræ corpus, ex doloribus acerbissimis partum ipsum concomitantibus, & per tres integros etiam dies illum antecedentibus, maximopere debilitatum, tanta cum vehementia invasit, ut ne quicquàm virium recolligere potuerit. De novo enim advenientia symptomata varia, æstus scil. & sitis irrestinguibilis, præcordiorum anxietates, insignis mammarum, cum doloribus intensissimis conjuncta, intumescentia, arteriarum pulsus frequens & interruptus, nervorum tendinumque motus tremulans & convulsivus, perpetuæ vigiliæ insecutaque delria &c. optimam adhibitam spernentia medicinam, in dies eas magis magisque labefactarunt; donec tandem septimo à partu die, ipsa Epilepsia, cum contracturis & motibus convulsivis variorum membrorum, dextri præprimis lateris, paucissimas adhuc superstites in totum prosterneret vires, mortemqve ipsam acceleraret. Plenariè enim hoc morboso certamine enervata, eâdem luce, circa horam duodecimam meridianam, inter astantium preces, placidissimè occubuit, mundanasqve molestias cum beatitudine sempiterna commutavit.* Sic itaqve præmaturo tibi fato, Nobilissime BERGKI, in ipso juventæ flore materia perit solidi, qvod animo tuo præceperas, delectamenti. Qvæ in longum durare, Teqve ipsum & alios

plurimos vitâ anteire debebat, ſubitò ad finem mortalitatis acceſſit; hoc ipſo, qvæ ſanctioris Spiritus loqvela eſt, perfecta reddita, cum alii per longas ambages ad hoc faſtigium contendant. Qvod felicitati potius qvam miſeriæ deputandum eſt. Tum verò lugendi Tibi vera extitiſſet cauſa, ſi, qvam amiſiſti, vitiorum probrorumqve maculis bonorum honeſtorumqve judicio notari, paſſim audiviſſes. Nam & hoc ærumnoſæ infelicitatis genus probos nonnunqvam & laudatos vexat viros. At qvantum doloris Tui lenimentum eſt, ſi recorderis apud Temetipſum, ſi ab aliis audias, hanc, qvæ nunc incluſa capulo inter homines eſſe deſiit, cujus tenebricoſo condendum ſepulcro corpus æternum ex urbis hujus conſpectu abibit, ab infantiâ ſuâ fœminam fuiſſe, bonâ indole, probis moribus, DEO hominibusqve caram? Qvæ dum ad omnem honeſti cultum à Parentibus, qviqve & curâ & amore poſtea parentum loco fuerunt, qvâ diſciplinâ, qvâ exemplo informata fuit, in id incubuit maximè, ut in arripiendis & exeqvendis iis, qvæ pulcra, egregiaqve præcipiebantur, non ſummè tantum induſtria eſſet ſed & religioſa. Majores verò nacta annos in ſummo precio habuit, imbui artibus, qvibus excoli ornariqve puellarum ſolent ingenia, juxta verò ex toto pectore revereri Deum, demereri officiis proximum, ſtudere pudicitiæ & omnem movere lapidem, ut non culpâ tantum vacaret, ſed & ſuſpicione. Talem Te duxiſſe vitæ ſociam, jucunda utiqve Tibi, non moleſta debet eſſe memoria. Jam qvanta iſta beatitudo eſt, eam, factam Tibi conjugem, hac in ætate, & qvaſi adoleſcentiâ, qvæ nondum viceſimum attigit annum, raris ſingularibusqve veræ infucatæqve pietatis erga DEum, liberaliſſimæ beneficentiæ & officii erga concives, modeſtiſſimi obſeqvii erga maritum, comitatis humanitatisqve erga omnes, laude incla-

inclaruisse & obtinuisse intra tantillum temporis spatium præclarissimarum virtutum præmium, tanqvam vitæ bene laudabiliterqve actæ nunqvam interiturum monumentum. Cujus & aliud tibi reliqvit testimonium, infantem lepidissimum pulcerrimumqve, qvi ad qvoscunqve pervenerit annos, (Faxit autem Deus, ut ad plurimos!) vivus Tibi perpetuò præco erit adeptæ ab uxore tuâ illius salutis, de qvâ scis scribere Paulum: *salva erit mulier per generationem liberorum, si manserit in fide ac dilectione & sanctificatione cum castitate.* Qvo ipso æqviore animo feres fatum Tuum, neq; desiderabis, qvam certus es, non extinctam esse, sed per Christum, cui immotâ, vivâq; per pulcerrima opera, fiduciâ innixa est cum moreretur, ad meliorem vitam renatam. Hanc si vel perfunctorio tantum oculo possemus introspicere, qvam illius & amplitudinem incredibilem & majestatem inæstimabilem & suavitatem, nunqvam satis admirandam, nunqvam satis expetendam, putas nos comprehensuros esse? Ex qvâ si suspiriis & lacrymis & desideriis Tuis retrahere illam in hanc terram, qvasi in qvoddam ærumnarum & miseriarum theatrum, coneris, qvam illa reluctabitur totis viribus? Qvam amorem Tuum conversum esse in odium livoremq; conqveretur? Ad hanc cœlestium gaudiorum ineffabilem ubertatem si & ipse ardenti cupiditate adspiras, si ad hunc unum qvasi & ultimum Christianorum omnium finem universum mentis Tuæ ardorem dirigis, si eo potitus summo Te bono, qvo nihil præclarius, nihil melius, nihil constantius est, gaudere credis, qvi tristari intra animum Tuum, qvi prosternere Te in terram, qvi pectus Tuum concutere potes, si, qvam unicè amas, in isthac Te felicitatis possessione prævertit? Supersunt praterea tibi & animo retines tot ingentes virtutes, qvæ non minus, ac cœleste illud præmium

morte carent & perpetuo durant. Denicq; qvicqvid tibi grave toleratu in hoc mellitissimæ uxoris funere videbatur, id leniet consideratio divinæ voluntatis, qvæ nunqvam nobis, etiam cum sauciat, benè cupere non potest. Ei se permittere & ad illius nutum suum qvoqve attemperare, summa ac perfectissima sapientia est. Vos verò Academici Cives, ut solennia funeris atqve exeqviarum freqventer obire & celebrare inducatis animum, majorem in modum oro rogoq;. Illo officio affectum summâ tristitiâ viduum mirificè recreabitis, simulq; & propriam mortalitatem in animum revocantes vitam vestram ita comparare discetis, ut rationem aliqvando reddere ei, cui in nos vitæ mortisqve imperium est, qveatis. Valete.

P. P. sub sigillo Rectorali. d. 10. August. A. R. S. 1691.

Conventus fiet in Æde Mariana hora I.

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1012668711/phys_0232
DFG

morte carent & perpetuo durant. Denicq; qvicqvid tibi grave toleratu in hoc mellitiſſimæ uxoris funere videbatur, id leniet conſideratio divinæ voluntatis, qvæ nunqvam nobis, etiam cum ſauciat, benè cupere non poteſt. Ei ſe permittere & ad illius nutum ſuum qvoqve attemperare, ſummæ ac perfectiſſima ſapientia eſt. Vos verò Academici [illegible], ut ſolennia funeris atqve exeqviarum freqventer celebrare inducatis animum, majorem in modum [illegible]. Illo officio affectum ſummâ triſtitiâ viduum reabitis, ſimulq; & propriam mortalitatem in vocantes vitam veſtram ita comparare dilationem aliqvando reddere ei, cui in itæ mortisqve imperium eſt, qveatis. Valete.

P. [illegible]lo Rectorali. d. 10. A. R. S. 1691.

Conventus [illegible] ariana hora I.

UB Rostock 051000

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012668711/phys_0233
DFG